USC
UNIVERSIDADE
DE SANTIAGO
DE COMPOSTELA

SYNODUS DIOECESANA LUCENSIS

L.3747

USC
UNIVERSIDADE
DE SANTIAGO
DE COMPOSTELA

USC
UNIVERSIDADE
DE SANTIAGO
DE COMPOSTELA

USC
UNIVERSIDADE
DE SANTIAGO
DE COMPOSTELA

R. 3526

†

# SYNODUS
# DIOECESANA LUCENSIS

QUAM

Illmus. ac Rmus. Episcopus

D. D. FR. GREGORIUS MARIA AGUIRRE ET GARCIA

DIEBUS XXV, XXVI ET XXVII AUGUSTI

ANNO MDCCCXCI

CELEBRAVIT, PROMULGAVIT

**ATQUE SUA AUCTORITATE**

MUNIVIT



LUCI AUGUSTI:

*Ex typographia G. Castro Montoya.*

—

1891

USC
UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

N. 3747

LAGO

# ACTA
# SYNODI LUCENSIS

DIEBUS XXV, ET XXVI, AC XXVII AUGUSTI
ANNO A NATIVITATE DOMINI MDCCCXCI,
SUB RMO. EPISCOPO

## FR. GREGORIO M.A AGUIRRE ET GARCIA.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Ad majorem Dei gloriam, ad laudem beatae Mariae, quae sub titulo *Virgen de los Ojos Grandes* in hac Ecclesia Cathedrali summa colitur veneratione, ad honorem divi Froylani, civitatis Lucensis decoris fulgentissimi, ad exaltationem sanctae matris Ecclesiae, atque ad salutem fidelium hujus almae dioecesis. Amen.

Notum sit omnibus et singulis hoc instrumentum conspecturis, quod anno salutis millesimo octingentesimo nonagesimo primo, Sanctissimo in Christo Patre Leone XIII Ecclesiam Dei felicissime gubernante, ejusque pontificatus anno decimo et quarto, die quinta et vicesima Augusti, Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Fr. Gregorius Maria Aguirre et García, Dei et Apostolicae Sedis gratia, Episcopus Lucensis, Synodum dioecesanam solemniter aperuit.

### Acta praevia

Die 24 Martii anni vertentis Rmus. Episcopus Synodum dioecesanam sequenti edicto denuntiavit atque indixit:

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# FR. GREGORIUS MARIA AGUIRRE ET GARCIA,

*Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Lucensis, etc.*

**Illmo. Capitulo Cathedrali et universo Clero hujus dioecesis, salus, pax et benedictio.**

«Vigilantissimus Pastor Leo Papa noster XIII, qui indefessa cura, solerti consilio, praestantique animo sanctam Jesu Christi Ecclesiam regit, nihil intentatum reliquit, donec secularia impedimenta, quae Synodorum celebrationem praepediebant, amovere nactus est.

Sub tanti Patris nutibus et auspiciis conventum ecclesiasticae Sancti Jacobi provinciae agere, superabile orsum visum fuit. Hinc Compostellanum Concilium XXI, cujus acta exquisitis laudum praeconiis a Sancta Sede honestata sunt.

Neminem latet, hoc faustissimum eventum celebrationi Synodi dioecesanae viam quodammodo sternere, tum ad solemnem ipsius provincialis Concilii promulgationem, tum ad alia quae fidelium aedificationi opportuna visa fuerint, decernenda.

Dioecesanam ergo Synodum die 25 Augusti hora 8 matutina vertentis anni et duobus sequentibus diebus in hac civitate Lucensi celebrandam indicimus, ac virtute sanctae obedientiae et sub poenis sacrorum canonum praecipimus, ut venerabiles Ecclesiae nostrae Cathedralis Dignitates, Canonici et Beneficiati, atque etiam parochi, oeconomi et omnes qui jure vel consuetudine Synodo interesse tenentur, accurate et religiose conveniant.

Sequentia vero Benedicti XIV monita prae oculis habenda erunt: «Legitimum impedimentum censetur grave periculum, »necnon adversa valetudo. Item si parochus sacerdotem non »habeat quem sibi in animarum cura substituat, non tantum »poterit, sed et debebit a Synodo abesse. Non idcirco tamen »quod quispiam legitimo detineatur impedimento, potest sua »auctoritate se ab accedendi obligatione absolvere; sed causam »cur non accedit debet Episcopo significare, a judicibus in id »deputatis absoluta Synodo examinandam.»

Sciant omnes de clero, ut si quae ad animarum salutem sancienda tempore ante capto proponant, grato animo excipiemus et ea communi consilio statuere conabimur.

In re tanti momenti adeamus cum fiducia ad Patrem misericordiarum, ploremus ante Salvatorem nostrum, qui in hac alma Ecclesia singulari privilegio divini amoris memoriale stupendùm est nobis *ad medullam Cordis Jesu* nostri benignissimi pulsemus, Deiparae Virginis Mariae patrocinium imploremus,

necnon Sancti Joseph, ejus sponsi, atque beati Jacobi Apostoli et beatorum Capitonis et Froylani.

Ea propter praecipimus: 1.$^{um}$, ut a Capitulo nostro Cathedrali celebrentur tres Missae solemnes de *Spiritu Sancto*; 2.$^{um}$, ut a 18 Aprilis usque ad 27 Augusti in Cathedrali et in aliis ecclesiis quotidie addatur in Missa collecta de *Spiritu Sancto* juxta rubricas; 3.$^{um}$, ut omnibus diebus festis post Missam parochialem et communitatum regularium, a sacerdote cum populo recitentur *Salve Regina* et *Pater noster;* at demum parochi populum moneant, ut enixis precibus quotidie Deum exorent ad tantum negotium feliciter perficiendum.

Notum sit tandem Sanctissimum Patrem nostrum Leonem XIII «omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus »vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, »qui Ecclesiam die, qua dicta prima Synodus inchoabitur, ac in »omnibus et singulis actualis illius celebrationis diebus devote vi»sitaverint et ibi pro christianorum Principum concordia, haere»sum extirpatione, peccatorum conversione ac sanctae matris »Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam »semel tantum omnium peccatorum suorum indulgentiam et re»missionem misericorditer in Domino concessisse».

Hujus Synodi auspicatissimos dies, quos diuturna praedecessorum nostrorum vota efflagitabant, et in quibus laetissimam venerabilium fratrum coronam intueri ac de gregis salute alloqui datum erit, intimo mentis affectu annuntiamus vobis, venerabiles fratres, filiique carissimi, quorum opera, vigiliis, laboribusque partem sollicitudinis ademptam vel certe sublevatam praesentimus (Card. Aug. Valer et Mach).

Luci Augusti, 24 Martii 1891.—Fr. Gregorius Maria, Episcopus Lucensis.—De Illmi. ac Rmi. Dni. mei Episcopi mandato, Joannes Maria Vila, Canonicus Secretarius».

Edicto convocationis Synodi publicato, quod et ad valvas Ecclesiae Cathedralis fuit affixum, Capitulum, Episcopo ordinante, in quinque commissiones distributum est, ut laboribus praeparatoriis Synodi incumberet.

Commissio prima, sub praesidio Dris. D. Nicolai de Bedoya et Bedoya, Decani, ad quam adscripti sunt Dr. D. Avellinus Vázquez Rodríguez, Canonicus Poenitentiarius, et D. Antonius Saco Quiroga, Canonicus, egit *De ſide*.

Commissio secunda, praeside Lic. D. Josepho de los Ríos Bedoya, Archipresbytero Ecclesiae Cathedralis, cui adjuncti fuerunt D. Vicentius de los Ríos, Canonicus, D. Josephus Rodríguez González, Canonicus, et Lic. D. Antoninus López Peláez, Cano-

nicus Magistralis, pertractavit *De sacramentis et sacramentalibus*, necnon *De populo christiano.*

Commissio tertia, cui praefuit Lic. D. Josephus Thomas Salgueiro, Cantor Major, cuique nomen dederunt Dr. D. Maximus del Arenal Enríquez, Canonicus, et Dr. D. Dionysius García Seijas, Canonicus Doctoralis, disseruit *De cultu*, necnon *De foro ecclesiastico.*

Commissio quarta, cui praesedit Dr. D. Joannes Emmanuel Carlón Aláez, Scholae Praefectus, et in quam cooptati fuere D. Raimundus Alvarez García, Canonicus, et D. Thomas Suárez Basanta, Canonicus, opus fecit *De vita et honestate clericorum.*

Commissioni quintae, praefecto Lic. D. Josepho Maria Palacios et López, Canonico Theologo, cui sunt asciti D. Emmanuel Seoane Pernas, Canonicus, D. Joannes Maria Vila, Canonicus, et Dr. D. Thomas Buíde López, Canonicus, demandati sunt tituli *De personis ecclesiasticis*, necnon *De rebus ecclesiasticis.*

Diebus 3 et 4 et 5 et 18 Augusti habitae sunt congregationes generales praeparatoriae in aedibus episcopalibus, praeside, habitu praelatitio, Rmo. Episcopo; Ilmi. Capituli personam gerentibus Perills. Lic. D. Josepho Thoma Salgueiro, Dre. D. Joanne Emmanuele Carlón Aláez, Dre. D. Dionysio García Seijas, Lic. D. Antonino López Peláez, Dre. D. Thoma Buíde López, et D. Joanne Maria Vila, atque e clero parochiali convenientibus Lic. D. Antonio Teijeiro, parocho Sancti Petri et archipresbytero *de los Cotos de Lugo*, et Dre. D. Emmanuele Méndez Fente, parocho Sanctae Mariae *de Merza.* His congregationibus, quibus Canonici habitum choralem induebant, Spiritu Sancto flexis genibus invocato, lecta fuere decreta ab Episcopo praeparata; ac per eumdem omnibus licuit quae opportuna viderentur observare, et vernaculo sermone uti, quo facilius suum sensum quisque exprimere possit. Insuper convocati consulti fuerunt de ministris et officialibus Synodi eligendis et nominandis.

## Sessio sollemnis prima.

Die quinta et vigesima Augusti, feria tertia ante Dominicam XV post Pentecostem, officio divino et Missa conventuali (sicut et in duobus sequentibus diebus) summo mane a Capitulo persolutis, ad horam octavam matutinam circiter, in Ecclesiam Cathedralem convenerunt quicumque Synodo adesse debeb[illegible].

Episcopus cappa magna indutus, eum Capitulo, habitu canonicali, comitante, post aspersionem factam et Sanctissimum Sacramentum adoratum (quae etiam peregit, antequam reliquos conventus inciperet) sacrarium intravit, organo sollemniter et festive personante.

tibus, per vias vulgo nuncupatas *Ruanueva*, *Campo* et *Palacio* (per quas semper egressus est atque regressus).

## Primae sessionis continuatio.

Hora praestituta, quinta nempe vespertina, qua jam omnes clerici, superpelliceo et stola rubri coloris induti (quibus et in caeteris conventibus usi fuerunt) in templo S. Francisci erant congregati, Episcopus, a canonicis et beneficiatis habitu chorali vestitis (prout in reliquis sessionibus, ultima vespertina excepta, qua pluvialia rubra induebant) comitatus, cruce, de more, cum cereis anteeunte, locum Synodi petiit. Ubi cappam magnam deposuit, paramentis rubris se induit, et, cum omnes insisterent recti, orationem *Adsumus* recitavit, ac mitram auriphrigiatam accepit.

Populo dimisso ab Ostiariis dicentibus *Extra omnes* janua clausa et assidentibus clericis, Promotor reverenter postulavit continuationem sessionis. Episcopi jussu, Secretarius hujusque adjutores totum postremum Concilium Provinciale Compostellanum legerunt.

Qua re facta, orante Promotore, ex ambone recitata fuere nomina eorum qui Synodo interesse tenebantur: adstantes responderunt *Adsum:* et quoniam jam nox adpetierat, ad instantiam Promotoris, in posterum diem altera indicta fuit sessio.

Tunc Promotores ante sedem episcopalem venerunt, et primus submisse petivit, ut Notarii accuratam eorum quae acta sunt relationem scriberent: cui cum Praesul respondisset: *Conficiatur*, Notarius primus, sociorum etiam nomine, dixit: *Conficiemus* (quod, eodem modo, repetitum fuit in fine uniuscujusque sessioni[illegible]s).

Denique Episcopus, surgens, Synodo benedictionem solemnem impertivit, dicens: *Sit nomen Domini benedictum* et cetera, pro more: ac discessit, eum Capitulo usque ad palatii portam stipante: caeteri in aedes proprias concesserunt (quae omnia facta sunt post singulas sessiones).

## Sessio secunda solemnis.

Hora octava matutina templum S. Francisci introivit Episcopus. Cum omnes praeparata occupaverint subsellia (Vicarius generalis et primi Promotor, Notarius et Secretarius speciales et praestantiores habebant sedes), sacrum pro Episcopis et sacerdotibus defunctis litavit Perill. Dr. D. Nicolaus de Bedoya et Bedoya, Ecclesiae Cathedralis Decanus. Mortuali sacro perfecto, decantatum fuit solemne responsorium, cujus orationes, post

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

aspersionem et thuris suffitionem ter factam, recitavit Episcopus, ante quem in plano presbyterii extensum fuit pannum nigri coloris, stola et pluviali nigro amictus; quibus depositis, proque iis paramentis rubri coloris asumptis ab Episcopo et ministris, cantata fuit antiphona *Propitius esto*, necnon psalmus LXXVIII *Deus venerunt gentes*.

Iterata antiphona recitavit Antistes orationes *Nostrorum et Mentibus nostris* et *Deus qui nos;* et post Evangelium *Designavit Dominus* a Canonico diacono, atque hymnum *Veni, Creator* ab omnibus concentum, dimisso populo, sedens, capite tecto mitra, stilo mirum in modum ornato clericos adhortatus est ad munera sacerdotalia exacte obeunda.

Urgente Promotore pro publicatione et promulgatione statutorum synodalium, lecta fuerunt a Secretario, lectionem prosequentibus tribus illius sociis, decreta titulorum *De fide* et *De sacramentis* et *sacramentalibus:* cumque horae matutinae finem darent, ad petitionem Promotoris, promulgatum est decretum pro continuatione sessionis ab Episcopo traditum: isteque, ut semper in conclusione consessuum matutinorum, Synodo benedixit, nihil dicens. Vespere, hora quinta, post recitatam ab Antistite orationem *Adsumus* rogante Promotore, lectae sunt constitutiones in titulis *De cultu* et *De vita et honestate clericorum* contentae: et cum jam serum diei fieret, postulante Promotore, pro postero die indicta fuit sessio.

In fine hujus (et insequentis) sessionis, non ex juris praescripto, sed ex Praesulis benevolentia, interrogata fuit Synodus, utrum placerent omnia constituta; et omnes *placet* dixerunt.

Lectum fuit etiam a Secretario e suggestu elata voce sequens decretum, quod a Praesule accepit:

«Juxta doctrinam a Benedicto XIV in opere quod inscripsit *De Synodo dioecesana* traditam, omnes canonici, parochi et beneficiati tributum quod catedraticum aut synodaticum appellatur in honoris et subjectionis cathedrae episcopali signum Ordinario suo Synodi occasione solvere tenentur: sed amplitudo sua Illma. ac Revma. illud pro hac vice renuntiat; neque jure omnes qui Synodo intersunt singilatim arcessendi ad cujusque rationis vitae scrutinium in praesens utetur, eo quod iterum dioecesim nuper visitaverit, idque peregerit; ea tamen lege, ut ex his nullum detrimentum jura sua suorumque successorum in posterum esse captura intelligatur.

»Animadvertere supervacaneum forsitam non erit neque Concilii Provincialis neque hujus Synodi decreta coram clero hic congregato promulgari, ut aliquo modo ab illo a probentur, sed ut opportunas observationes, si quae circa synodalia fiant, Illmus. Praelatus audire possit, utque omnia proprius ac perfectius exse -

quutioni mandentur; ac proinde, etsi synodalium lectione finita, an haec placeant, interrogabitur, omnem tamen vim obligandi habere, illa ab ejusdem Concilii auctoritate et Apostolicae Sedis revisione, haec vero a sola Praelati auctoritate censendum est. Si cui igitur aliqua manere opportunum videbitur, ea Synodi procuratoribus tempore, quod sessionibus intercedet, in scriptis exhibeat, ut illa Illmus. Praelatus perpendat de iisque judicet».

## Sessio solemnis ultima.

Eadem hora coepit atque eodem ritu ac praecedens. Recitata fuit a Perille. Lic. D. Josepho de los Ríos Bedoya, Ecclesiae Cathedralis Archipresbytero, Missa de *Sanctissima Trinitate* pro gratiarum actione, eo quod Synodus perduceretur in finem. Lecto primo Evangelio, Perill. Lic. D. Antoninus López Peláez, Canonicus Magistralis, pulpitum ascendit, ac de *zelo pastorali* habuit orationem.

Cum Episcopus ad faldistorium descendisset, post antiphonam *Exaudi*, psalmum *Salvum me fac*, orationes *Ad te, Domine* et *Omnipotens* et *Deus qui populis*, Evangelium *Si peccaverit*, hymnumque *Veni Creator*, populo dimisso, ad petitionem Promotoris, jubente Praelato lecti sunt tituli *De personis ecclesiasticis* et *De rebus ecclesiasticis* et *De foro ecclesiastico:* quumque hora protraheretur, et omnia quae pertractanda erant mane expedire nequiverint, ad instantiam Promotoris et annuente Episcopo, prorogata fuit sessio ad horam quintam vespertinam. Qua, adunatis omnibus, Promotor, certior factus de obseratis januis, requisivit ut legerentur synodalia quae remanserant.

Completa lectione decretorum tituli ultimi, nempe *De populo christiano*, Illmus. Praelatus, lingua hispana, facili et plano sermone, Evangelia explicavit quae tribus diebus post Missam cantata fuere: legit etiam, gaudens, telegramma, quo alii nomine Synodi ad Summum Pontificem misso respondit Emmus. Cardinalis Marianus Rampolla, Secretarius Status Leonis Papae XIII, quodque ita se habet: «Summopere accepta fuerunt Summo Pontifici sensa tuo telegrammate exposita: Sanctitas sua hinc grato animo Capitulo, et cunctis sacerdotibus in Synodo collectis *apostolicam benedictionem* peramanter impertit.—Cardinalis Rampolla.»

Deinde, urgente Promotore, lectus fuit census seu catalogus membrorum Synodi, et decretum *De Synodo finienda*. Post haec admissus fuit populus, et Praesul, stans versus altare, sine mitra, intonuit orationem *Nulla est Domine*, et hymnum *Te, Deum;* quem psallentes omnes bini et bini reversi sunt ad Ecclesiam Cathedralem, in quam intraverunt, non aliter ac post primae

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

diei consessum matutinum, per ostium primarium (his duobus conventibus exceptis, semper Episcopus ingressus est in Ecclesiam Cathedralem, atque exivit per fores, quae vulgo dicuntur *de Palacio*).

Capitulo, archypresbyteris, et professoribus Seminarii presbyterium occupantibus, post Sanctissimum Sacramentum coopertum, sedit Episcopus in plano altaris in cornu Evangelii, dum Secretarius ex pulpito legebat decretum *De dimissione Synodi*. Deinde, cum baculo et mitra pretiosa, sollemniter benedixit Synodo.

Presbyter assistens, Perill. Dr. D. Nicolaus de Bedoya et Bedoya, Decanus, e cornu epistolae publicavit indulgentias. Diaconus primus, Perill. Lic. D. Josephus de los Ríos, Ecclesiae Cathedralis Archypresbyter, stans versus Synodum, cecinit *Recedamus in pace*, omnibus respondentibus: *In nomine Christi. Amen.*

Illmus. Praelatus, indumentis conciliaribus in sacrario exutis, et cappa amictus, reversus est ad aedes suas a clero cathedrali stipatus, innumero populo, qui templum et viam dictam *de Palacio* occupabat, benedictionem episcopalem accipiente cum exsultatione.

Haec sunt *acta* Synodi dioecesanae Lucensis, mense Augusti, anno millesimo octingentesimo nonagesimo primo, celebratae: quae a me, Antonino López Peláez, primo ejusdem Synodi Notario, fideliter conscripta sunt diebus XXV, et XXVI et XXVII supradicti mensis, ad instantiam Promotoris et de mandato Illmi. ac Rvmi. Episcopi. In testimonium veritatis ea subscribo et tesseram meam appono cum duobus aliis Notariis et testibus ab Episcopo electis.—Antoninus López Peláez, Canonicus Magistralis, et primus Synodi Notarius.—Antonius Teigeiro et Sanfiz, Parochus Sancti Petri de Lugo, et Synodi Notarius.—Florentinus Velón Taboada, Parochus de Moalde, et Synodi Notarius.

# ALLOCUTIO

HABITA IN SESSIONE PRIMA

AB

## Illmo. ac Rmo. D. D. Fr. Gregorio Maria Aguirre,

EPISCOPO LUCENSI.

**Venerabiles cooperatores, filiique dilectissimi:**

Divino Paraclito inspirante, sancta mater Ecclesia Synodos dioecesanas maxime commendat. Hac de causa, atque Sanctissimi Patris nostri Leonis XIII voci obsequentes, Concilium indicere die vigesima quarta Martii vertentis anni, ad eumque vos arcessere, opportunum duximus. Validissimam praeterea omnium vestrum, ac praesertim Capituli nostri Cathedralis postulavimus opem. Et vos, qui dum agitur de gloria Domini promovenda atque salute animarum procuranda, parati ac prompti estis, libenti animo Pastori, licet indigno, morem gerere non dubitastis, labori non pepercistis, atque alacriter comparere ita vobis placuit, ut in hoc temporis puncto, oculis ac corde in vos intentis, me cohibere non possim, quin exclamem: ¡Benedictus Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur humiles et consolatus est nos in adventu vestro, cooperatione vestra, benevolentia vestra! ¡Oh filii desideratissimi, vos estis gaudium meum, estis corona mea, estis cordis mei mite solatium!

Cum cohortationes nostras, verbis Divi Leonis Papae uti mihi liceat, auribus vestrae charitatis adhibemus, Christum vobis loqui credite, quia et illius vos affectu monemus et nihil aliud quam quod ipse docuit et Ecclesia ab ipso fundata praecipit, vel hortatur, decernimus, vel hortamur.

Quod fuit ab initio, quod Apostoli viderunt oculis suis, quod patres nostri audierunt, quod perspexerunt, quod manus eorum contrectaverunt, haec testamur vobis, ut gaudeatis et gaudium

vestrum sit plenum; et loquimur obsecrantes, ut in dilectione et charitate permanere impenso animo contendatis. Vos etenim oportet cunctis florere virtutibus, et meritis pietatis ceteros fideles excellere, vos omnes, quos in apostolicae petrae arce fundatos et Dominus noster Jesus Christus cum omnibus redemit et altissima induit dignitate sacerdotali, ac copiosis charismatum donis locupletat, ab amoris sui eucharistico throno paternam vobis impertiendo benedictionem.

Accedite ergo, filii charissimi, accedite et conjunctissimis animis procidamus ante Dominum; accedite, et voluntate concordi adoremus Deum; accedite et exoremus eum, ut spiritu sapientiae repleat nos ita, ut sicut imbres eloquia sapientiae mittere possimus; per intercessionem et merita immaculatae ejus genitricis Mariae, reginae Angelorum et sponsae purissimae Spiritus Sancti, iterum atque iterum exoremus eum, ut pacis ac charitatis studio, quae lecta et sancita fuerint, sollicite exequantur; et cum hac Matre benedicta omnes una simul ex intimo corde clamemus: Veni, Sancte Spiritus, et emitte coelitus lucis tuae radium.....

# OFFICIALES

## AD SYNODUM ELECTI.

---

| | |
|---|---|
| *Promotores* . . . . | Dr. D. Joannes Emmanuel Carlón, Praefectus Scholarum.<br>D. Antonius Saco Quiroga, Canonicus. |
| *Secretarii* . . . . | Dr. D. Andreas Avellinus Vázquez, Poenitentiarius.<br>D. Thomas Suárez Basanta, Canonicus. |
| *Secretar. Auxiliares.* | D. Emmanuel Paradela, Archipresbyter de Santalla de Rey.<br>» Thomas Andrade Aranda, Archipresbyter de Pantón. |
| *Notarius*. . . . . | Lic. D. Antoninus López Peláez, Magistralis. |
| *Notarii Auxiliares* . | Lic. D. Antonius Teijeiro Sanfiz, Archipresbyter de Cotos.<br>D. Florentinus Velón Taboada, Archipresbyter de Trasdeza. |
| *Judices querelarum* . | Lic. D. Joseph de los Ríos Bedoya, Canonicus Archipresbyter.<br>D. Emmanuel Seoane Pernas, Canonicus.<br>» Joannes M.ª Vila Vázquez, Canonicus.<br>» Andreas Taboada, Parochus Sanctae Mariae de Campos. |
| *Judices excusationum*. | Dr. D. Dionysius García Seijas, Doctoralis.<br>D. Vincentius de los Ríos Puente, Canonicus.<br>» Raymundus Alvarez, Canonicus.<br>Lic. D. Andreas Baamonde, Parochus de Rendal. |

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

| | |
|---|---|
| *Magistri caeremoniarum* . . . . . | Dr. D. Maximus Arenal Enríquez, Canonicus.<br>D. Angelus Sánchez Quintero, Beneficiatus. |
| *Magist. caerem. Auxiliares* . . . . | D. Ludovicus Castro, Parochus de Castroncelos.<br>» Bernardus Fuentes González, Parochus de Riomol. |
| *Praefectus disciplinae* | Dr. D. Thomas Buíde López, Canonicus. |
| *Praefect. discip. Auxiliares* . . . | D. Benedictus López Ferreiro, Archipresbyter de Deza.<br>» Joseph Rodríguez Rivera, Archipresbyter de Chantada. |
| *Procuratores cleri.* . | D. Joseph Rodríguez González, Canonicus.<br>» Joseph García Rodríguez, Archipresbyter de Neira de Jusá.<br>» Raymundus Rivas Fernández, Archipresbyter de Narla. |
| *Lectores* . . . . . | D. Emmanuel Lorenzo Blanco, Vicerector Seminarii.<br>Lic. D. Joseph Ferreiro Gayoso, Parochus de la Régoa.<br>D. Benedictus Rivera, Parochus de Saa.<br>Dr. D. Perfectus Pardo del Monte, Capellanus monialium Scti. Augustini. |
| *Ostiarii* . . . . . | D. Antonius Neira, Archipresbyter de Abeancos.<br>» Primus Madriñán, Parochus de Villatuje.<br>» Joseph Taboada Pardo, Parochus de Antas.<br>» Joseph Copa Gironés, Parochus del Hospital.<br>» Joseph Varela Salgado, Oeconomus de Arada.<br>» Emmanuel Prado Sanmartín, Vicarius Scti. Vincentii de Rábade. |

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# JUDICES SYNODALES.

Ad id muneris obeundi pro Perill. Dre. D. Petro Benedicto Rodríguez Valdés et Licto. D. Antonio de los Ríos Bedoya in Concilio Compostellano designatis, postea vero corporis carcere solutis, electi fuerunt:

Dr. D. Dionysius García Seijas, Doctoralis.
Lic. D. Antoninus López Peláez, Magistralis.

# EXAMINATORES SYNODALES.

Dr. D. Nicolaus Bedoya et Bedoya, Canonicus Decanus.
Lic. D. Joseph de los Ríos Bedoya, Canonicus Archipresbyter.
» D. Michael Moreno et Moreno, Archidiaconus.
» D. Joseph Salgueiro Valcarce, Praecentor.
Dr. D. Joannes Emmanuel Carlón, Praefectus Scholarum.
Lic. D. Joseph Maria Palacios, Lectoralis.
Dr. D. Dionysius García Seijas, Doctoralis.
Lic. D. Antoninus López Peláez, Magistralis.
Dr. D. Andreas Avellinus Vázquez, Poenitentiarius.
» D. Maximus Arenal Enríquez, Canonicus.
D. Emmanuel Seoane Pernas, Canonicus.
» Joannes Maria Vila Vázquez, Canonicus.
Dr. D. Thomas Buíde López, Canonicus.
Lic. D. Antonius Teijeiro Sanfiz, Archipresbyter de Cotos.
Dr. D. Emmanuel Méndez Fente, Parochus de Merza.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# NOMINA

EORUM QUI SYNODO DIOECESANAE INTERFUERUNT.

ILLMUS. AC RMUS. DNUS. FR. GREGORIUS MARIA AGUIRRE ET GARCÍA, EPISCOPUS.

## Capitulus Cathedralis.

Perill. Dr. D. Nicolaus Bedoya et Bedoya, Decanus.
» Lic. D. Joseph de los Ríos Bedoya, Archipresbyter.
» Lic. D. Joseph Salgueiro Valcarce, Praecentor.
» Dr. D. Joannes Emmanuel Carlón, Praefectus Scholarum.
» Lic. D. Joseph María Palacios, Lectoralis.
» D. Vincentius de los Ríos Puente, Canonicus.
» D. Antonius Saco Quiroga, id.
» Dr. D. Maximus del Arenal Enríquez, id.
» D. Joseph Rodríguez González, id.
» D. Paulus Emmanuel Seoane, id.
» Dr. D. Dionysius García Seijas, Doctoralis et Vicarius Generalis.
» D. Joannes María Vila Vázquez, Canonicus.
» D. Raymundus Alvarez García, id.
» Dr. D. Thomas Buíde López, id.
» Lic. D. Antoninus López Peláez, Magistralis.
» D. Thomas Suárez Basanta, Canonicus.

## Beneficiati Cathedralis.

D. Dominicus de la Peña.
» Isidorus Blanco.
» Antonius María Iglesias Ferradas.
» Dominicus Paradela.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

D. Joseph Raymundus Berdiñas.
» Franciscus Fafián López.
» Franciscus Pérez Cid.
» Franciscus Carreiras.
» Gabriel Bueno Ramos.
» Angelus Sánchez Quintero.
» Paulinus García Sáenz.
» Nicolaus Prieto Pérez.
» Joseph Pérez Balboa.

---

Lic. D. Francisous Vázquez Veiga, Vice-fiscalis.

## Professores Seminarii.

D. Emmanuel Lorenzo Blanco.
Lic. D. Emmanuel Fernández Somoza.
D. Joseph Vázquez.
Lic. D. Benedictus Sampedro.
D. Franciscus Peña Grandas.
» Joannes Morillo Bande.
» Vincentius Cabanas.

## Archipresbyteri.

| | |
|---|---|
| Urbanus. . . . . . | Lic. D. Antonius Teijeiro Sanfiz, Parochus Scti. Petri Lucensis. |
| De Abeancos. . . . . | D. Antonius Neira, id. de Barazón. |
| Aguiar. . . . . . | » Joseph María García, id. de Vilela. |
| Amandi. . . . . | » Hyacinthus Carnero, id. de Brosmos. |
| Bolaño. . . . . . | » Joseph Chaín, Vicarius de Montecubeiro. |
| Camba. . . . . . | » Joannes Sánchez Jorge, Parochus de Pedrosa. |
| Castrovermún. . . | » Angelus López del Río, id. de Buciños. |
| Caurel. . . . . . | » Joseph Castro Armesto, id. de Folgoso. |
| Cervantes. . . . . | » Joseph Fernández Balonga, id. de la Rivera. |
| Chantada. . . . . | » Joseph Rodríguez Rivera, id. de Chantada. |

| | |
|---|---|
| Deza. . . . . . | D. Benedictus López Ferreiro, id. de Cercio. |
| Dozón. . . . . . | » Joseph Abeledo Mato, id. de Dozón. |
| Farnadeiros. . . . | » Angelus Varela, id. de Lapío. |
| Ferreira et Ferreirúa. | » Ricardus Sindín, id. de Villajuste. |
| Ferreira de Pantón. | » Thomas Andrade Aranda, id. de Vilamelle. |
| Ferreiros de Balboa. | » Ignatius Rubinos, id. de Cruzul. |
| Gomelle. . . . . | » Philippus Romay Fraga, id. de Villameá. |
| Incio. . . . . . | » Petrus Paulus Pérez, id. de Tuimil. |
| Insua y Taboada. . | » Augustinus Fernández, id. de Moreda. |
| Luaces.. . . . . | » Casimirus López Fernández, id. de Martín. |
| Monforte. . . . . | » Michael Varela, id. de Fiolleda. |
| Monterroso. . . . | » Emmanuel Bran Varela, id de Facha. |
| Narla. . . . . . | » Raymundus Rivas, id. de Parada. |
| Navego. . . . . | » Eduardus Buján Fernández, id. de Veiga. |
| Neira de Jusá. . . | » Joseph García Rodríguez, id. de Constantín. |
| Pallares. . . . . | » Joseph Iglesia, id. de Coeses. |
| Paradela. . . . . | » Antonius Fernández Villardón, id. de Villaragunte. |
| Páramo. . . . . | » Antonius Rodríguez Alvarez, id. de Friolfe. |
| Samos. . . . . . | Dr. D. Petrus González, id. de Mao. |
| Santalla de Rey. . . | D. Emmanuel Paradela, id. de Cereija. |
| Sarria. . . . . . | » Joseph López Somoza, id de la Vega. |
| Saviñao. . . . . | » Joseph Almuiña Losada, id. de Villacaiz. |
| Trasdeza. . . . . | » Florentinus Velón Taboada, id. de Moalde. |
| Vallepedroso.. . . . | » Froylanus Arias Santisteban, id. de Pousada. |
| Ventosa. . . . . | » Vincentius Sexto, id. de Borrageiros. |
| Ulloa. . . . . . | » Francisco Rodríguez Varela, id. de Villareda. |

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

## Clerus urbanus.

D. Petrus Fernández Prado, Parochus de Muja.
» Dominicus Penas, id. de Retorta.
» Joseph Emmanuel Jorge, id. de Meilán.
» Antoninus Rodríguez, id. de Piugos.
» Joseph López, id. de Villafiz.
» Antonius Dominicus del Río, id. de Calde.
» Joseph Maria Ramos, id. de Santacomba.
» Antonius Dominicus Ferreiro, id. de Orbazay.
» Joseph Vila, id. de Alta.
» Indaletius Alvarez, id. de Robra.
» Thomas Núñez, id. del Burgo.
» Antonius Jacob Arias, id. de Pías.
» Antonius Vázquez Villares, id. de Pena.
» Benedictus Rivera, id. de Sa.
» Joseph Val, id. de Pedreda.
» Petrus Raymundus Suárez, id. de Carballido.
» Antonius Quiñoá, Oeconomus de Báscoas.
» Joannes González Regueiro, id. de Romeán.
» Eusebius Vázquez, id. del Puente.
» Ricardus Sindín, id. de Saamasas.
Dr. D. Emmanuel Méndez Fente, Vice-gerens Scti. Jacobi de Lugo.
D. Franciscus Xavier Fafián, Coadjutor Scti. Petri de Lugo.
» Jesus Otero Bouzón, id. Scti. Jacobi de Lugo.
Dr. D. Perfectus Pardo del Monte, Cappellanus Monialium Scti. Augustini.
D. Benignus Torrón, Presbyter.
» Petrus Otero Sierra, id.
» Dominicus Castro, id.
» Baldomerus Neira, id.
» Emmanuel Villares, id.
» Felix Goy, id.
» Antonius Cedrón Grandas, id.
» Antonius González Seijo, id.
» Joseph Díaz Andión, id.
» Franciscus García de los Huertos, id.
» Emmanuel Fernández, id.
» Joannes Reija, id.
» Franciscus Sánchez, id.
» Petrus Barrio Gayoso, id.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

D. Andreas Ouro, id.
» Rudesindus Fernández, id.
» Joannes Valiña, id.
» Joseph Pepín, id.
» Raymundus Carral, id.
» Henricus Minguillón, id.
» Vincentius Rozas, id.
» Thomas Montes, id.
» Jesus Diéguez Pallares, id.
» Theolindus Gallego, id.
» Gulielmus Rodríguez Sierra, id.
» Raymundus Blanco Pardo, id.
» Joseph Raymundus Torres, id.
» Raymundus Fontela Alvarez, id.
» Paulus Regueiro Castro, id.
» Antonius Ferreiro Díaz, id.
» Dominicus Regal, id.
» Emmanuel López González, id.
» Emmanuel Gómez Pontón, id.
» Eduardus Goy, id.
» Joseph Vázquez, id.
» Emmanuel Goyanes, id.
» Seraphim Marcos Rodríguez, id.
» Joseph María López, id.
» Dominicus Salcedo, id.
» Petrus Sánchez, id.
» Emmanuel Pérez Quinteiro, id.
» Franciscus Vázquez González, id.
» Julianus Sánchez, id.
» Antonius Penelas Rodríguez, id.
» Ferdinandus Fernández Conde, id.
» Ferdinandus Pontide, id.
» Mattheus Rivas Folgueira, id.

## Clerus de Abeancos.

D. Andreas Taboada, Parochus de Campos.
» Camillus Somoza, id. de Villamor.
» Firminus Iglesias, id. de Furelos.
» Philomenus Lorenzo, id. de Golán.
» Joseph Sánchez Díaz, id. de Ordes.
» Joseph Lorenzo, id. de Paradela.
» Joannes Vázquez, id. de Puente-Arcediago.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

D. Jesus Carmelo Corral, id. de Leboreiro.
» Joachim Baamonde, id. de Gondollín.
» Laureanus Pardo, id. de Marojo.
» Ludovicus Lombardero, id. Ssmi. Salvatoris de Abeancos.
» Emmanuel Diéguez, id. de Visantoña.
» Emmanuel Casal, id. de Figueroa.
» Emmanuel Neira, id. de los Angeles.
» Raymundus Rivas, id. de Pezobrés.
» Secundus Penas, id. de Maceda.
» Joseph Maria Patao, Oeconomus de Boente.
» Joseph Eiras, Presbyter.

## Clerus de Aguiar.

D. Joannes Fernández Sanjurjo, Parochus de Arcos.
» Petrus Losada Bermúdez, id. de Carral.
» Eleutherius Díaz Morandeira, id. de Cela.
» Joseph Díaz Rubinos, id. de Matela.
» Joseph Morillo Bande, id. de Otero de Rey.
» Emmanuel García, id. de Paz.
» Raymundus Díaz Prado, Oeconomus de Bonje.
» Jesus García Díaz, id. de Caboy.
» Raymundus Rega Otero, id. de Teijeiro.
» Emmanuel Prado Sanmartín, Vicarius de Rábade.
» Franciscus Díaz, Presbyter.
» Raymundus Fernández Díaz, id.
» Angelus Fernández Rifón, id.

## Clerus de Amandi.

D. Victor Gómez, Parochus de Rosende.
» Anacletus Salgueiro, id. de Millán.
» Thomas Otero, id. de Figueiroá.
» Evaristus Hervella, id. de Barantes.
» Emmanuel Rodríguez Conde, id. de Pinol.
» Jovita Martínez, id. de Doade.
» Franciscus Gallego, id. de Amandi.
» Emmanuel Rodríguez Pía, id. de Marcelle.
» Robustianus González, id. de Gundivòs.
» Dominicus González, id. de Liñerán.
» Raymundus Carnero, Oeconomus de Anllo.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

D. Raymundus Rodríguez, id. de Proendos
» Joannes Acevedo, id. de Lobios.
» Joseph Fernández, Presbyter (de Rosende).
» Joseph Fernández, id. (de Canabal).
» Ildephonsus Rodríguez, id.
» Raymundus Rodríguez, id.

## Clerus de Bolaño.

D. Andreas Bouzas, Parochus de Vilalle.
» Emmanuel Vila Arias, Oeconomus de Bolaño.
Lic. D. Emmanuel Carballo, id. de Pena.
D. Joseph Raymundus Paradela, id. de Espasande.

## Clerus de Camba.

D. Joseph López Varela, Parochus de Pescoso.
» Philippus Maria Duro Castro, id. de Guillar.
» Alvarus Vence Diéguez, id. de Fafián.
» Venantius Hermida Vence, id. de Riobó.
» Joannes Vázquez Jorge, id. de Senra.
» Dominicus Baldonedo Canda, Oeconomus de Carboentes.
» Raymundus Gontán Méndez, id. de Camba.
» Dominicus Rigueira, Coadjutor de Guillar.
» Antonius Vázquez Fernández, Presbyter.
» Vincentius Saa, id.

## Clerus de Castrovermún.

D. Emmanuel González Folgueira, Parochus de Losada.
» Franciscus García Freijo, id. de Chouzán.
» Antonius del Río Diéguez, id. de Requeijo.
» Joseph Maria Balboa, id. de Asma.
» Emmanuel Moure, id. de Bermún.
» Constantinus Randolfe, id. de Cartelos.
» Emmanuel Pereira, id. de Lobelle.
» Emmanuel Martínez, Oeconomus de Carballedo.
» Constantinus Guerra, id. de Olleros.
» Franciscus Carballo Soto, id. del Furco.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

## Clerus de Caurel.

D. Joannes Antonius Rodríguez, Parochus de Seara.
» Joannes Antonius Veiga, id. de Gestoso.
» Petrus López, id. de Seoane.
» Emmanuel Vázquez, id. de Noceda.
» Petrus Cereigido, id. de Losada.
» Franciscus Lado Suárez, id. de Villamor.
» Ambrosius García Valín, id. de Seceda.
» Joachim Valde Penedo, id. de Meiraos.
» Jacobus Guitián, Oeconomus de Visuña.

## Clerus de Cervantes.

D. Isidorus Bermúdez Témez, Parochus de Vilachá.
» Ricardus López Arrojo, id. Scti. Petri de Cervantes.
» Barnabas Fernández, id. Scti. Romani de Cervantes.
» Ignatius Rodríguez, Oeconomus de Villamane.
» Joseph Digón Quiroga, Presbyter.

## Clerus de Chantada.

D. Martinus López, Parochus del Mato.
» Joseph Alvarez López, id. de Villauge.
» Casimirus López, id. de Camporramiro.
» Benedictus Lobelle, id. de Líncora.
» Froylanus Moreiras, id. de Pesqueiras.
» Michael Paz Guerra, id. de Asma (Scti. Georgii).
» Joseph Victor López Castro, id. de Brigos.
» Andreas Pérez González, id. de Pereiras.
» Maurus Guerra, Oeconomus Ssmi. Salvatoris de Asma.
» Andreas Avellinus Sampayo Pardo, Coadjutor de Villauge.
» Antonius López, Presbyter.
» Antonius Cortés Ulloa, id.

## Clerus de Deza.

D. Primus Madriñán, Parochus de Villatuje.
» Joseph Maria Gil, id. de Moneijas.

D. Joseph Maria Diéguez, id. de Goyás.
» Joseph Maceda, id. de Maceira.
» Daniel Fernández Ledo, id. de Barcia.
» Damasus Mato, id. de Sello.
» Benignus Vilariño, id. de Rodís.
» Joachim Barral, id. de Galegos.
» Franciscus Tallón, id. de Toiriz.
» Joseph Mámoa, id. de Bermés.
» Ludovicus Fondevila, id. Sctae. Eulaliae de Losón.
» Thomas Petrus Ramos, id. de Santiso.
» Emmanuel Taboada, id. de Bendoiro.
» Eladius Rodríguez Medela, Oeconomus de Espiñeira.
» Petrus Alle, id. de Villanueva.
» Thomas Otero Villar, id. de Sotolongo.
» Antonius Blanco et Blanco, id. de Gresande.
» Dominicus Pallares, id. de Donramiro.
» Antonius Varela, Coadjutor de Villatuje.
» Joannes Froiz, id. de Villanueva.
» Benedictus González, id. de Sotolongo.
» Joachim Rodriguez Amorín, id. de Moneijas.
» Constantinus López, id. de Donramiro.
» Joseph Abeledo, id. de Goyás.
» Aemilius Mato et Mato, id. de Sello.
» Benedictus García, id. de Bendoiro.
» Raphael Souto, id. de Méijome.
» Joseph Ramos et Ramos, Presbyter.
» Petrus Pájaro, id.
» Emmanuel Panadeiro, id.
» Nicolaus Blanco, id.
» Raphael Soto et Soto, id. (de Toiriz).
» Gumersindus Pazos, id.
» Benignus Brea, id.

## Clerus de Dozón.

D. Andreas Rodríguez, Parochus de Sisto.
» Valerianus Revoredo, id. de Vilarello.
» Petrus Crespo, id. de Alceme.
» Florentinus Fernández Rogel, Oeconomus de la O.
» Dominicus Meijomil, Coadjutor de la O.

## Clerus de Farnadeiros.

D. Antonius Ramos, Parochus de Farnadeiros.
» Eugenius Yáñez, Oeconomus de Paradela.

## Clerus de Ferreira et Ferreirúa.

Lic. D. Franciscus Rodríguez, Parochus Scti. Nicolai de Puertomarín.
D. Jesus Pérez, id. de Bedro.
» Joannes García, id. de Rozas.
» Raymundus Pardo Eiranova, Oeconomus de Caborrecelle.
» Dominicus Montenegro, id. de Gonzar.
» Constantinus López Varela, Diaconus.

## Clerus de Ferreira de Pantón.

D. Hyacinthus Blanco, Parochus de Pombeiro.
» Perfectus Carnero, id. de Frontón.
» Angelus Losada, id. Scti. Jacobi de Cangas.
» Emmanuel Prado, id. de Espasantes.
» Emmanuel Alvarado, id. de Vilar de Ortelle.
» Thomas Mallo, id. de Atán.
» Joseph Rodríguez Eiras, id. de Castillones.
» Patritius Fernández, id. de Ferreira.
» Eduardus Somoza, Oeconomus de Sanfiz de Cangas.
» Eleutherius Castro Vilar, id. de Següín.
» Camillus Díaz, Coadjutor de Castillones.
» Antonius Lorenzo, id. de Ferreira.

## Clerus de Ferreiros de Balboa.

D. Ludovicus López Valcarce, Parochus de Oselle.
» Joseph Varela Couso, id. de Agüeira.
» Joannes López, id. de Ferreiros.
» Joannes Vázquez Lence, id. de Tortes.
» Julianus Vila, id. de Becerreá.
» Emmanuel Vidal, id. de Nogales.

## Clerus de Gomelle.

D. Joannes López Rodríguez, Parochus de Montedemeda.
» Emmanuel Moure Nande, Oeconomus de Entrambasaguas,

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

D. Camillus Fernández Rón, id. de Ferreira.
» Joseph González Lesser, id. de Gomelle.
» Franciscus López Páramo, id. de Castelo.
» Raymundus Rodríguez Mosquera, Coadjutor de Castelo.
» Augustus Ulloa García, Diaconus.

## Clerus de Insua.

D. Ricardus García Mourelle, Parochus de Castelo.
» Joseph Varela Pardo, id. de Insua.
» Emmanuel Polanco, id. del Castro.
» Joseph Antonius Blanco, id. de Mourulle.
» Raymundus Varela, id. de Sabadelle.
» Bernardus López Louzao, id. de Couto.
» Froylanus López Taboada, id. de Bouzoa.
» Patritius Vilariño, Oeconomus de Gián.
» Emmanuel García, id. de Torre.
» Franciscus Gómez, id. de Ansar.
» Joseph Arias, id. de Gondulfe.
» Benedictus García, Presbyter.
» Joseph Joachim España, id.

## Clerus de Incio.

D. Hieronymus Vilela, Parochus de Cervela.
» Vincentius Rodríguez, id. de Castelo.
» Joseph Vila Arias, id. de Noceda.
» Petrus López Sampedro, id. de Teilán.
» Joseph Maceda Gómez, id. de Remesar.
» Joseph Armesto, id. de Villasouto.
» Antonius Nóvoa, id. de Eirejalba.
» Joseph Copa, id. del Hospital.
» Matthias Chousa, id. de Trascastro.
» Dominicus González, id. de Foilebar.
» Raymundus Mendoza, id. de Reboiro.
» Antonius Montero, Oeconomus de Bardaos.
» Petrus Rodríguez Veiga, id. de Rubián de abajo.
» Petrus Díaz Saavedra, id. de Bóveda.
» Emmanuel Luaces, Coadjutor de Teilán.
» Camillus Gallego, id. de Villasouto.
» Petrus Díaz, Presbyter.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

D. Andreas López, Presbyteri.
» Emmanuel Buján, id.
» Emmanuel Castro, id.
» Emmanuel Gómez, id.

## Clerus de Luaces.

D. Franciscus Fernández Bolaño, Parochus de Retizós.
» Emmanuel Díaz Barcia, id. de Balonga.
» Emmanuel Quiñoá, id. de Caraño.
» Franciscus Domínguez, id. de Suegos.
» Emmanuel Rivera, id. de Torneiros.
» Franciscus Rancaño, id. Scti. Georgii de Piquín.
» Antonius Fernández, id. de Baos.
» Emmanuel Ferreiro, id. Sctae. Eulaliae de Piquín.
» Joseph Folgueira, Oeconomus de Arcos.
» Blasius Fernández, id. de Meira.
» Alexius Vila, Vicarius de Navallos.
» Petrus Vila, Coadjutor de Caraño.
» Jacobus Rodríguez, id. de Meira.
» Joseph Fernández, id. Sctae. Eulaliae de Piquín.
» Petrus Valiño, Presbyter.
» Petrus Sanjulián, id.
» Raymundus Rancaño, id.
» Emmanuel López, id.

## Clerus de Maestrescolía.

D. Emmanuel Cela Lugilde, Parochus de Lajosa.
» Franciscus Janeiro, id. de Corgo.
» Severianus Díaz López, id. de Argemil.
» Antonius Ferreiro, id. de Aday.
» Angelus López, id. de Folgosa.
» Emmanuel Castro Paz, id. de Fonteita.
» Joseph Goyanes, id. de Páramo.
» Antonius Correa, id. de Furís.
» Bernardus Fuentes, id. de Riomol.
» Joseph Díaz, id. de Goy.
» Raymundus Piñeiro, id. de Serés.
» Joseph Romay, id. de Moreira.
» Jesús Besteiro, id. de Barredo.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

D. Petrus Varela, id. de Gondar.
» Dominicus Antonius Cela, Oeconomus de Anseán.
» Joseph López Fernández, id. de Pumarega.
» Andreas Sánchez, Vice-gerens de Chamoso.
» Joseph Vila, Presbyter.
» Thomas Lence, id.
» Joseph Santiso, id.

## Clerus de Monforte.

D. Joseph María Prado, Parochus de Tor.
» Joseph Raymundus López, id. de Baamorto.
» Joseph Valiño, id. de Reigada.
» Henricus Debén Colmenares, id. de Bascós.
» Dominicus Antonius Puente, id. de la Vid.
» Raymundus Castro, id. de Sindrán.
» Dominicus Antonius Varela, id. de Moreda.
» Emmanuel Pérez, id. de Linares.
» Joseph Suárez, id. de Tuiriz.
» Petrus García Varela, id. de Vilachá.
» Joseph Casanova Doce, id. de Penela.
» Chrysanthus Pérez, id. de Gullade.
» Franciscus Díaz, id. de Guntín.
Lic. D. Joseph Ferreiro Gayoso, id. de la Régoa.
D. Joseph Camino, Oeconomus de Valverde.
» Pegertus Quiroga, id. de Rozabales.
» Antonius Gómez, id. del Pino.
» Vincentius Rodríguez, Vicarius de Tor.
» Raymundus Sindín, Capellanus Monialium Sctae. Clarae.
» Emmanuel González, Coadjutor de Tuiriz.
» Emmanuel López, id. de Baamorto.
» Antonius López, id. de Bascós.
» Raymundus Rodríguez, Presbyter.
» Ricardus López, id.
» Joannes Rodríguez Barreira, id.
» Joseph Martínez, id.
» Antonius Carnero, id.
» Severinus Andrade, id.
» Joannes Quiroga, id.
» Damasus Díaz, id.

## Clerus de Monterroso.

D. Joseph Regadío, Parochus de Novelúa.
» Joannes García, id. de Penas.
» Andreas Agra, id. de Sirgal.
» Emmanuel Maria Pereira, id. de Fente.
» Anselmus Rodríguez, id. de Balboa.
» Franciscus Negro, id. de Castro.
» Joseph Taboada, id. de Antas.
» Joseph García, id. de Casa de Naya.
» Demetrius Pardo, Oeconomus de Lodoso.
» Joseph Varela, id. de Arada.
» Antonius Vázquez Villamor, id. de Sambreijo.
» Raymundus Fernández, id. de Agüela.
» Andreas Rodríguez, id. de Areas.
» Joseph Fente, id. de Villapoupre.
» Raymundus Diéguez, Presbyter.
» Joseph Lamela García, id.
» Raymundus Soengas, id.

## Clerus de Narla.

D. Joseph Hortas, Parochus de Baamonde.
» Dominicus Castro, id. de Carballo.
» Thomas Alvarez Moreira, id. de Canday.
» Nemesius Penoucos Carnero, id. de Francos.
» Capito Jul Gayoso, id. de Giá.
» Angelus Cobas Seijas, id. de Devesa.
» Petrus Rúa López, id. de Hombreiro.
» Antonius Illán Rúa, id. de Martul.
» Joseph Maria López Roca, id. de Nodar.
» Angelus Devesa Iglesia, id. de Narla.
» Fructuosus Rúa Castro, id de Piedrafita.
» Antonius Joseph Penas Latas, id. de Trasmonte.
» Silvester Roca, id. de Villalbite.
» Martialis Villamor Rosón, Oeconomus de Condes.
» Ferdinandus Piñeiro, id. de Cotá.
» Joseph Maria Carral, id. de Gayoso.
» Camillus López Ratón, id. de Guldriz.
» Joseph Roca, id. de Roimil.
» Franciscus Naveira, Vice-gerens de Negradas.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

D. Eduardus Fuciños, Presbyter.
» Michael González Roca, id.
» Antonius Gayoso Rodríguez, id.

## Clerus de Navego.

D. Vincentius Varela Brigos, Parochus de Argozón.
» Franciscus Duro Prado, id. de Adá.
» Joseph Emmanuel Fernández, id. de Laje.
» Franciscus Fernández Prieto, id. de Mariz.
» Pegertus Diéguez, id. de Monte.
» Franciscus Antonius Boullosa, id. de Muradelle.
» Michael Rodríguez, id. de Piñeira.
» Joseph Quintela, id. de Sabadelle.
» Bonaventura Gil, id. de Sobrecedo.
» Raymundus Fernández Varela, Oeconomus de Arcos.
» Antonius Rodríguez Vila, id. de Esperante.
» Camillus Rodríguez Paz, Presbyter.
» Franciscus Otero, id.

## Clerus de Neira de Jusá.

D. Dominicus Presas Vázquez, Parochus de Arrojo.
» Benedictus Iglesias, id. de Pacios.
» Constantinus López Camba, id. de Pousada.
» Petrus García Gándara, id. de Cobas.
» Benignus Carreira Carrete, id. de Cedrón.
» Ferdinandus López, id. de Vale.
» Emmanuel Rivas, id. de Lejo.
» Emmanuel López López, Oeconomus de Pol.
» Joannes Taboada, id. de Villaesteba.
» Ludovicus López López, id. de Penamayor.

## Clerus de Pallares.

D. Dominicus Antonius de la Fuente, Parochus del Campo.
» Ludovicus Fraga, id. de Sanromán.
» Petrus Rodríguez, id. de Mougán.
» Emmanuel Díaz, Oeconomus de Francos.
» Emmanuel Fernández, id. de Ferroy.
» Vincentius Rodríguez, Coadjutor de Ourol.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

## Clerus de Paradela.

D. Franciscus Junquera, Parochus de Laje.
» Joannes López, id. de Pinza.
» Joannes López Díaz, id. de Villamayor.
» Franciscus Fernández, id. de Rivas de Miño.
» Joseph Varela López, Vicarius de Paradela.
» Andreas Vázquez Saco, Coadjutor de Castro de Rey.

## Clerus de Páramo.

D. Petrus Rodríguez Castro, Parochus de la Torre.
» Emmanuel Rodríguez Losada, id. de Villarmosteiro.
» Petrus Vázquez Rodríguez, id. de Saa.
» Emmanuel Iglesias Mourenza, id. de Piñeiro.
» Modestus Fernández, id. de Aday.
» Hieronymus López Arias, Oeconomus Scti. Vincentii de Gondrame.
» Antonius Garza, id. de Puertomarín.
» Emmanuel García Mourenza, Coadjutor Scti. Vincentii de Gondrame.

## Clerus de Picato.

D. Joseph Maria Rubinos, Parochus de Toirán.
» Alexander Gómez, id. de Marey.
» Emmanuel Arias Sobrado, id. de Bande.
» Emmannel Pardo Caldeiro, id. de Vilaleo.
» Emmanuel Valín Riesco, id. de Lama.
» Camillus Pardo, Oeconomus del Alto.
» Franciscus Vivero González, id. de Láncara.
» Emmanuel Cela, Coadjutor de Marey.

## Clerus de Samos.

D. Joseph Valladares, Parochus de Formigueiros.
» Pegertus Guerra, id. de Castroncán.
» Joseph Maria Suárez, id. de Pascáis.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

D. Franciscus Rodríguez, id. de Loureiro.
» Franciscus Abad, id. de Montán.
» Emmanuel Fernández Parada, id. de Zoo.
» Emmanuel González Montero, id. de Piñeira.
» Emmanuel Rodríguez, id. de Toubille.
» Simon Sánchez, Oeconomus Scti. Romani del Mao.
» Paulinus López, id. de Lózara.
» Emmanuel Pérez, id. de Lier.
» Ricardus López, id. de Armea.
» Fr. Angelus Fernández, id. de Samos.
» Raymundus Montero, Presbyter.
» Joannes Emmanuel Losada, id.
» Jacobus López, Coadjutor de Loureiro.
» Severinus Vázquez, id. de Lózara.

## Clerus de Santalla de Rey.

D. Ludovicus Castro, Parochus de Brollón.
» Eduardus Valcarce, id. de Salcedo.
» Valentinus Goyanes, id. de Lamaiglesia.
» Emmanuel Fernández, id. de Eijón.
» Ignatius Vázquez, id. de Pinel.
» Joseph Martínez, id. de Abrence.
» Dominicus Santín, id. del Hospital.
» Joseph Casanova, id. de Lor.
» Benedictus Balboa, id. de Castrosante.
» Emmanuel Sal et Camba, id. de Pino.
» Dominicus Armesto, id. de Canedo.
» Nemesius Barreiro, id. de Layosa.
» Raphael Rapela, id. de Ver.
» Emmanuel Nóvoa, id. de Martín.
» Petrus González, id. de Villalpape.
» Rudesindus Fernández, Oeconomus de Fornelas.
» Franciscus Martínez, id. de Sa.
» Joseph Camino, Vicarius de Rivas pequeñas.
» Dominicus Antonius González, Presbyter.

## Clerus de Sarria.

D. Joannes Yáñez, Parochus de Muro.
» Jacobus Camba, id. de Lousadela.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

D. Emmanuel Cid Matías, id. de Meigente.
» Paulinus Macía, id. de Masid.
» Angelus Ferreira, id. Ssmi. Salvatoris de Sarria.
» Angelus Sampedro, id. Sctae. Marinae de Sarria.
» Nicolaus Díaz, id. Scti. Juliani de la Vega.
» Dominicus Antonius Quiroga, id. de Corbelle.
» Antonius Fernández Vázquez, id. de Seteventos.
» Emmanuel Iglesias, id. de Toldaos.
» Raymundus López, id. de Loureiro.
» Antonius Rodríguez, id. de Cesar.
» Joseph Antonius Rodríguez, id. de la Chanca.
» Elias Fernández, id. de Escoureda.
» Emmanuel Fernández, id. de Maceda.
» Salvator Latorre, Oeconomus de Larín.
» Celestinus Sampedro, id. de Loseiro.
» Joseph López González, id. de Pena.
» Joannes López, id. de Nespereira.
» Emmanuel Saco, id. de Fontao.
» Emmanuel Vázquez, id. de Goyán.
» Franciscus González, Coadjutor Scti. Jacobi de la Vega.
» Antonius López Baamonde, id. Ssmi. Salvatoris de Sarria.
» Antonius López Somoza, id. Sctae. Marinae de Sarria.
» Daniel López, id. de Goyán.
» Benedictus Peña Sánchez, Presbyter.
» Antonius Alvaredo, id.
» Joannes López Barrio, id.

## Clerus de Saviñao.

D. Joannes González Suárez, Parochus de Chave.
» Raymundus Quiroga, id. de Villaesteva.
» Evaristus Somoza Saco, id. Scti. Victorii de Rivas de Miño.
» Constantinus Arias, id. Sctae. Eulaliae de Rebordaos.
» Thomas Escobar, id. de Vilelos.
» Benignus Mariño, id. de Juvencos.
» Franciscus Eiranova, id. Scti. Stephani de Rivas de Miño.
» Raymundus Vázquez, id. de Abuíme.
» Emmanuel Ledo, id. de Tribás.
» Carolus Vázquez, id. de Villasante.
» Claudius Guitián, id. de Licín.
» Emmanuel Portomeñe, id. de Acoba.
» Emmanuel Rodríguez, id. de Diomondi.
» Franciscus Rodríguez, id. de Ousende.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

D. Emmanuel Iglesias, Oeconomus Sctae. Crucis de Rebordaos.
» Emmanuel Iglesias Varela, id. de Iglesiafeita.
» Emmanuel Varela, id. de Freán.
» Petrus Rodríguez Cabiedes, Presbyter.
» Julianus López, id.
» Angelus Somoza Saco, id.

## Clerus de Trasdeza.

D. Joseph Nieves Angueira, Parochus de Breija.
» Franciscus Valladares, id. de Ansemil.
» Dominicus Antonius García, id. de Silleda.
» Franciscus Fernández, id. de Taboada.
» Jesus Canda García, id. de Refojos.
» Severinus Salgueiro, id. de Grava.
» Narcissus Villar Rico, id. de Laro.
» Ricardus Lorenzo Filloy, id. de Fiestras.
» Joseph Pereira García, id. de Cervaña.
» Joannes Fraiz, id. de Ponte.
» Stephanus Gil Abeledo, Oeconomus de Escuadro.
» Benedictus Fajardo, id. de Abades.
» Florentinus Méndez, id. de Saídres.
» Andreas Fraiz, Presbyter.
» Emmanuel Samartín, id.
» Joseph Alvarez, id.
» Joseph García Iglesias, id.
» Restitutus Torres, id.
» Joseph Samartín, id.
» Emmanuel Fernández, id.
» Petrus Veiga, id.

## Clerus de Triacastela.

D. Joannes Maria Valcarce, Parochus del Cebrero.
» Ludovicus Ramallal Veiga, Oeconomus de Padornelo.
» Joseph López et López, id. de Lamas
» Henricus Pol, Vicarius de Riocereija.

## Clerus de Valcarce.

D. Peregrinus del Valle, Parochus de Balboa.
» Joachim Portela, id. de la Vega.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

D. Emmanuel Díaz Guitián, id. de Villasinde.
» Emmanuel Iglesias Losada, id. de Barjas.
» Vincentius Peña Grandas, id. de Pereje.
» Emmanuel Rojo López, Oeconomus de Valcarce.
» Gabriel Castro Casanova, id. de Pradela.

## Clerus de Vallepedroso.

D. Dominicus Sobrado, Parochus de Librán.
» Joannes Maria Vivero, id. de Cubilledo.
» Joseph Cedrón, id. de Córneas.
» Ramirus Armesto, id. de Penarrubia.
» Joseph Pardo, id. del Río.
» Thirsus Gómez, id. de Neira de Rey.
» Petrus Moreiras, id. de Furco.
» Ludovicus Lamela, id. de Piñeira.
» Indaletius Díaz, id. de Fontaneira.
» Raymundus Vázquez, Oeconomus de Fontarón.
» Emmanuel Fernández Bermúdez, id. de Paradavella.
» Antonius Calderón, Coadjutor de Penarrubia.
» Emmanuel Dorado, Presbyter.
» Gonzalvus Alvarez Otero, id.
» Evaristus Díaz Otero, id.

## Clerus de Ventosa.

D. Joannes Diéguez, Parochus de Gorgueiro.
» Dominicus Carnero, id. de Berredo.
» Benedictus Rodríguez, id. de Brocos.
» Andreas Sobrado, id. de Brántega.
» Emmanuel Joseph Vázquez, id. de Orrea.
» Laurentius Fernández, id. de Santacomba.
» Emmanuel Méndez, Oeconomus de Ventosa.
» Jesus Vence, id. de Trabancas.
» Joseph Neira, id. de Basadre.
» Franciscus Mouriño, id. de Artoño.

## Clerus de Ulloa.

D. Joseph Rodríguez, Parochus de Pidre.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

D. Joseph Varela, id. del Mato.
» Emmanuel Rodríguez, id. de Curbián.
» Carolus Blanco, id. de Meigide.
» Joseph López, id. de Aguas-santas.
» Emmanuel Gómez, id. de Moredo.
» Gabinus Boto, id. de Ulloa.
» Ignatius Joseph Villamor, id. de Laya.
» Dominicus Emmanuel Sánchez, id. de Salaya.
» Emmanuel Otero, id. de Lestedo.
» Franciscus Villanueva, id. de Donas.
» Emmanuel González, id. de Carteire.
» Joseph Carnero, Oeconomus de Pedraza.
» Joseph Vilariño, id. de Cuiña.
» Joannes Carreira, Vice-gerens de Villamayor.
» Joseph Besteiro, Coadjutor de Besteiro.

## Clerus Regularis.

D. P. Emmanuel Trincado, Scholarum Piarum.
» P. Melchor Rodrigüez, id.
» Fr. Angelus Platero, Ordinis Scti. Benedicti.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# CONSTITUTIONES SYNODALES.

USC
UNIVERSIDADE
DE SANTIAGO
DE COMPOSTELA

# CONSTITUTIONES
# SYNODI DIOECESANAE

AB

**Illmo. ac Rvmo.**

## D. D. FR. GREGORIO MARIA AGUIRRE ET GARCIA,

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPO LUCENSI,

HABITAE.

---

In nomine Smae. et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, ad omnipotentis Dei gloriam et benedictionem, ad honorem Beatissimae semper V. Mariae, sine labe conceptae, Beati Josephi ejus Sponsi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Sanctorum Froylani et Capitonis et omnium Sanctorum, decreta Concilii Compostellani XXI solemniter promulgata esse declaramus, et ea qua fungimur auctoritate sive ordinaria sive delegata, sequentes Constitutiones nostrae Synodi dioecesanae, statutas ac sancitas, promulgamus, quas servari ab omnibus ad quos spectant decernimus.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# TITULUS I.

## DE FIDE

Cum fides catholica totius aedificii spiritualis fundamentum sit (1), et conditio sine qua salus aeterna neque consequi neque sperari potest (2); cumque nostris luctuosis temporibus non pauci impii ac intemperantes sint homines, qui illud eximium Dei donum parvipendunt, atque e fidelium mentibus evellere nituntur, omni studio ac diligentia nobis curandum est, ut in hac dioecesi non modo incolumis illa servetur, sed etiam, quantum fieri possit, augeatur. Ut igitur hunc finem, Deo opitulante, assequamur, haec partim statuenda partim commendanda censemus.

## CAPUT I.

### De fide tenenda et augenda.

I. Meminerint omnes animarum curam gerentes omnia, quae in novissimo Concilio provinciali Compostellano, titulo I, capitibus I et II, traduntur; ea populo sedulo exponant; ac, ut omnia illic commendata religiose exequatur, efficaciter hortentur.

II. Doceant fidem donum Dei esse ac proinde frequenter, humiliter et fervide ab Eo petendam;

---

(1) I Cor. III-10.
(2) Marc. XVI-16.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

sed ex illis esse donis, quae ab humana voluntate pendent, ideoque non otiose expectandum, ut illam Deus impertiat, sed nostris actibus ope divinae gratiae, quae nemini quidem deest, positis, assequi et augeri posse.

III. Simul igitur fideles hortentur, ut actus fidei frequenter eliciant; atque uti ad hos eliciendos efficatius illos excitent, ostendant omnes praecepto divino, saltem cum ad usum rationis pervenerint, et postea saepe in vita, ad id teneri; indulgentias, quas Summi Pontifices Benedictus XIII et Benedictus XIV iis, qui hoc pium exercitium peregerint, largiti sunt, referant et explicent; ac ipsi publice cum populo illos frequenter emittant.

IV. Fidei excellentiam et necessitatem in concionibus saepe ostendant, atque, ut illam praeponant regnis et sedibus, ac super salutem et speciem diligant (1), omnes persuadere curent. Quod quidem, divina favente gratia, facile efficient, si una cum rationibus, quas ex divinis attributis ac nostra ad Deum relatione petere possunt, ex multis et illustribus auctoritatibus, quibus illa demonstrantur, saltem quas hic subjicimus recte evolvant et audientium animis infigant: *Qui non crediderit, condemnabitur* (2); *Qui incredulus est, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum* (3); *Sine fide impossibile est placere Deo* (4); *Fide stas, noli altum sapere, sed time* (5); "Fides omnium virtutum stabile fundamentum est„ (6); "Nullae sunt majores divitiae, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quam est fides catholica„ (7); "Sicut planta absque radice fruc-

---

(1) Sap. VII-8 et 9.
(2) Marc. XVI.
(3) Joan. III.
(4) Hebr. XI.
(5) Rom. XI.
(6) S. Ambros. in psalm. XL.
(7) S. Agust. Serm. I.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

tum non profert, ita absque fidei fundamento non provenit sermo doctrinae„ (1); "Antequam videas quod videre non potes, crede quod nondum vides; ambula per fidem ut pervenias ad speciem„ (2); "Noli intelligere ut credas, sed crede ut intelligas; intellectus merus fructus fidei est„ (3).

V. Operum, quae fidei excellentiam et beneficia explicant, ac motiva credibilitatis exponunt, lectionem inculcent; hujusmodi libros notos faciant ac in illis propagandis operam, quantum in ipsis sit, impendant.

VI. Cum Tridentina Synodus omnibus animarum curam gerentibus praeceperit, ut singulis diebus dominicis et festis solemnibus fidei rudimenta fideles sibi commissos pro uniuscujusque captu docerent et explicarent (4), cumque nostris diebus haec institutio ut cum maxime requiratur, parochis ac ceteris animarum curatoribus mandamus, ut huic obligationi diligentissime satisfaciant. Sciant se hoc officium minime implere per concionem matutinam, atque Sacram Concilii Congregationem, Benedicto XIV confirmante, declarasse catecheses interrumpi non posse uno solo festivo die neque vindemiarum tempore etsi una tantum persona assistat (5). Denique, quamvis animarum curatores hoc munus per se exercere debent, nisi fuerint legitime impediti; tamen praeter coadjutores et sacerdotes parochiis adscriptos, de quibus alibi dicetur, operam suam in eo implendo illis praestare volumus etiam ceteri clerici necnon Seminarii alumni feriarum tempore.

VII. Ne tamen parentes solutos se existiment

---

(1) Chrysost. in haec verba Apost.: *Habentes eumdem spiritum fidei.*
(2) S. Aug. Serm. XVIII *De verbis Domini.*
(3) Id. supra Joan.
(4) Sess. V., c. II, *De reform.*
(5) Const. *Et si minime,* notificat. IX, n. 11.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

a munere christianam doctrinam filios suos edocendi ac pios sensus eorum animis verbo et exemplo inserendi, saepe illos parochi moneant, ne seipsos misere decipiant, ac severissimum Dei judicium timeant, si hoc officium, omnium suorum gravissimum, religiose implere negligant.

VIII. Cum Dei verbi praedicatio divina dispositione sit medium ordinarium ad fidem propagandam et conservandam, ne annuntiatorum culpa suo privetur effectu, memores sint concionatores omnium quae in supra citato Concilio Compostellano, titulo I, capite XV, statuta sunt, eaque opere compleant. Nemo praeterea, qui ex officio hoc munus obire non teneatur, illud exercere praesumat in hac dioecesi absque nostra vel nostri Vicarii generalis licentia. Omnes congruentem praeparationem tum cordis tum mentis adhibendam curent: cordis, ut opera verbis consonent, et non minus vita quam sermone praedicent; mentis vero, ut nullum errorem nihilque a sublimi suo ministerio alienum aut Dei gloriae et populi aedificationi minus consentaneum ab ore suo dilabi contingat. Denique, cum doctores a Spiritu Sancto efficiantur, ait Divus Augustinus (1), et neque qui plantat neque qui rigat sit aliquid, sed qui incrementum dat Deus (2), studio fervidam orationem adjiciant. "Quae docenda sunt„ —ait idem S. Doctor—"discant, facultatemque dicendi, ut viros ecclesiasticos decet, comparent; sed priusquam exserant proferentem linguam, ad Deum levent animam sitientem, ut eructent quod biberint, vel quod impleverint fundant. Cum enim de unaquaque re, quae secundum fidem dilectionemque tractanda sunt, multa sint quae dicantur et multi modi, quibus dicantur ab eis, qui haec sciunt ¿quis

(1) *De doctr. christ.* lib. IV.
(2) I Corint. III-7.

novit quid ad praesens tempus vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt? Et quis facit, ut, quod oportet et quemadmodum oportet dicatur a nobis, nisi in cujus manu sunt et nos et sermones nostri? Si regina Esther, pro suae gentis temporaria salute apud regem loquutura, oravit, ut in os suum Deus congruentem sermonem daret ¿quanto magis orare debet, ut tale munus accipiat, qui pro aeterna hominum salute in verbo et doctrina laborat?„ (1)

IX. Omnes memoria semper teneant gravissimum esse peccatum tum profiteri aut simulare fidem falsam, tum veram negare, aut, cum praeceptum hanc profitendi urget, eam dissimulare; hoc vero praeceptum urgere quotiescumque Dei honor aut spiritualis proximi vita hujusmodi professionem exigit. Serio meditentur tum haec terribilia Domini nostri Jesu Christi verba: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est* (2); *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua* (3); tum haec solatium animumque praestantia: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est* (4); et omni timore ac respectu humano abjecto, fidem strenue profiteantur, ab omni verbo eidem injurio abhorreant, ac, cum in Domino expedire visum fuerit, illud audientes totis contundant viribus. Numquam erubescant fidem in mysteriis suis adeo sublimem, in dogmatibus adeo puram ac sanctam, tot auctoritatibus comprobatam, a Prophetis praedictam, tot miraculis confirmatam, Martyrum sanguine oblitam, a tot doctis ac sapien-

---

(1) Div. August. loc. citat.
(2) Matth. X-33.
(3) Luc. IX-26.
(4) Matth. X-32.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

tissimis viris propugnatam, quam tot populi sunt amplexati, quae tot viget saeculis, quamque neque ethnicorum error neque catholicorum improbitas quatere potuit.

X. Ut Concilii Tridentini ac Apostolicae Sedis decreta de fidei professione emittenda ab iis, qui beneficia et munia in illis expressa obtinent, exactius serventur, praecipimus, ut hujusmodi professionem coram Nobis vel nostro Vicario generali emittant juxta formulam a Pio IV praescriptam et Congregationis Concilii decreto nuper auctam (1), omnes provisi de dignitate, canonicatu vel beneficio in nostra sancta Ecclesia Cathedrali, atque de parochia aut alio quovis beneficio animarum curam adnexam habente in nostra dioecesi. Provisi de dignitate aut canonicatu illam etiam coram Capitulo emittent, omnesque praedicti per se non vero per procuratorem ante possessionem si de beneficio animarum curam adnexam habente, et ante eamdem vel intra duos menses a die possessionis adeptae si de dignitate aut canonicatu sint provisi, eam emittere teneantur. Eadem forma fidem profitebuntur, antequam munus suum exercere incipiant, Vicarius capitularis coram Capitulo et Vicarius generalis coram Episcopo; atque anni scholaris initio idipsum coram Episcopo, Vicario generali vel Rectore quotannis peragent Seminarii professores.

## CAPUT II.

### De periculis fidei vitandis.

I. Cum errores ac dubia circa fidem potius ex corde quam ex mente oriantur, ut regius vates his

---

(1) Die 20 Januar. ann. 1877.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

verbis innuit: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus* (1); cumque dignus sit, inquit S. Prosper, ut perdat inutilem fidem, qui non exercuit charitatem, ac divino judicio saepe contingat, addit S. Augustinus, ut qui nequiter vivunt, perdant quod salubriter credunt, et per hoc exinaniantur usque ad fundamentum (2), sequitur quod status habitualis peccati mortalis sit periculum saltem remotum fidem amittendi; ac proinde omnes hujus nostrae dioecesis fideles tam laicos quam clericos in Domino hortamur ac impense obsecramus, ut in gratiae statu constanter manere sedulo curent. Cor mundum a peccatis servent, et facilius mentem ab errore immunem custodient.

II. Quod si quaelibet peccata mortalia, etsi cum fide consociabilia sint, quasi a facie colubri fugere debemus (3), multo magis vitare ac detestari opus est, quae cum illo eximio Dei dono consistere nequeunt, ac ipsam justificationis radicem tollunt. Ut horum enormitatem melius omnes cognoscant, eaque facilius abhorreant, serio recogitent, quod, qui ea committunt aut assensum praestare nolunt iis, quae sciunt esse a Deo revelata aut credere renuunt esse revelata, quae ab Ecclesia ut talia proponuntur; primum gravissimam Deo, qui infinite sapiens et infinite verax est, offensionem infert; secundum vero maxime injurium item est Ecclesiae, quae est Dei sponsa, in Christo fundata, columna veritatis, cum qua Christus manet usque ad consummationem saeculi (4), et a qua Spiritus Sanctus neque ad momentum recedit: *Apud vos manebit, et in vobis erit* (5). Ac memores denique sint apostatas a catholica fide

(1) Ps. LII-1
(2) S. August. in psalm. XXXII.
(3) Ecli. XXI-2.
(4) Matth. XXVIII-20.
(5) Joann. XIV-17.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

et haereticos excommunicatione Summo Pontifici specialissimo modo reservata ab Ecclesia puniri (1).

III. Eosdem fideles pariter in Domino monemus, ut communicationem cum infidelibus, apostatis et haereticis omnino devitent, non solum in sacris, quia jure divino prohibita est, sed, quantum fieri possit, etiam in civilibus, quia vix sine fidei detrimento haberi potest. In memoriam revocent quae monet Apostolus Paulus: *Haereticum hominem... devita* (2): *Declinate ab illis, qui dissensiones et offendicula, praeter doctrinam quam vos didicistis, faciunt; Christo enim Domino nostro non serviunt, et per dulces sermones seducunt corda innocentium* (3): *Sermo eorum ut cancer serpit* (4). Memorent demum apostatis vel haereticis credentes eorumque receptores, fautores ac generaliter quoslibet illorum defensores excommunicationem Summo Pontifici speciali modo reservatam incurrere (5).

IV. Iidem sciant laicis prohibitum esse de fide disputare tum publice tum privatim (6). Excipitur disputatio privata, si fiat a viris doctis cum venia Episcopi vel in casu magnae utilitatis vel inductae consuetudinis, et ad eam fuerint provocati. Clericis nullo jure prohibetur disputatio privata, dummodo idonei sint, praecedat provocatio, et cum fundamento possit sperari fructus in provocante vel audientibus; publica vero non licet absque Summi Pontificis venia vel Episcopi si necessitas urget. Omnibus tamen licet, saepissime expedit, et aliquoties tenentur in ea quae adversus fidem audiuntur protestari atque agendi rationem proferentium exprobrare.

V. Aliud fidei periculum, et fortasse omnium

---

(1) Bulla *Apostolicae Sedis* a Pio IX edita.
(2) Ad Tit. III-10.
(3) Ad Rom. XVI-17 et 18.
(4) II ad Timot. II-16.
(5) Bulla *Apostolicae Sedis* a Pio IX edita.
(6) Alexander IV cap. II, § I, *De haereticis*, in Sexto.

maximum, est librorum ephemeridum, ac quorumvis scriptorum pravorum lectio. Quia, si verbum quod statim advolat, ait S. Alphonsus de Ligorio, serpit ut cancer, et ad mortem vulnerat ¿quid mali non afferet liber, qui potest evadere perpetuus subversionis fons? (1) Idque tribus praesertim rationibus confirmat S. Doctor: Prima, quia nefarius liber quascumque potest penetrare domos, ad quas auctor numquam forte aditum posset habere. Secunda, quia, ut S. Basilius innuit, sicut cibus delectabiliter ingreditur in hominem, et deinde fit proprius hominis sanguis, sic liber, cum legitur delectabiliter legitur, et sic de facili fieri solet res propria lectoris. Praeterea qui ad auctorem legendum accedit, illi pene discipulum se tradit, ipsique cor docile et benevolum offert, et ideo facile ab illo decipi potest; valde enim difficile est, quod lector aliquo amore erga auctorem illum non afficiatur: ex quo deinde facile eveniet, ut impietas et error latens hauriatur insensibiliter, et tenaciter postea retineatur. Tertia, quia impii scriptores magno quidem studio errores suos ita ornant et colorant, ut non solum simplices, sed etiam quosdam doctos decipiant; illos enim, saltem sub initio, aperte non produnt, sed variis speciosis rationibus eruditionibus ac leporibus vestiunt, sicque lethale venenum ingerunt. Quandoque sanctitatem ac zelum praeseferunt, sollicitudinem de publico bono affectant, canonesque perfectionis tradunt; sed sub his omnibus multi magnique errores celantur. Innumeras Sacrae Scripturae et Patrum sententias ac exempla afferunt, sed omnia vel adulterata vel perperam interpretata. Hinc Dominus et Salvator noster clamabat: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus au-*

---

(1) Lib. I, tract. II, appendix 3.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

*tem sunt lupi rapaces* (1). "Vide„—inquit Origenes—"ne te decipiat fulgor operis, ne te rapiat sermonis pulchritudo„; et S. Gregorius: "Haeretici permiscentes recta perversis, ut ostendendo bona auditores ad se trahant, et exhibendo mala, latente eos peste corrumpant„ (2). Quare neminem saltem ex nostris subditis ignorare volumus omnia memorata scripta, quaecumque sint, lege aeterna, naturali et divina positiva, necnon permulta explicite etiam lege ecclesiastica prohiberi; ac proinde eadem neque legi neque emi neque retineri sine peccato posse. Sciant praeterea legentes libros apostatarum vel haereticorum haeresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdem retinentes, imprimentes, vel quomodolibet defendentes excommunicationi Summo Pontifici speciali modo reservatae subjacere (3).

VI. Advigilent parochi, patresfamilias, praeceptores caeterique qui aliorum curam gerere debent, ut libri perniciosi procul absint ab oculis manibusque eorum de quibus rationem Deo sunt reddituri. Animarum curatores scholas, quantum fieri possit, visitent, vel saltem aliis mediis inquirant, utrum alumni recte instituantur ac moderentur; atque si aliquas invenerint, in quibus horum fidem aut boni mores periclitantur, admoneant parentes ne filios suos illas adire permittant, eisque ostendant verae praevaricationis reos fieri, si prolem suam in gymnasia istiusmodi peste infecta mittant.

VII. Libros vel quaevis alia scripta, quae ad religionem, morum honestatem aut Ecclesiae regimen spectant, typis mandare nemo praesumat, quin

---

(1) Math. VII, 15.
(2) T. I, l. I mor., c. XI.
(3) Bulla *Apostolicae Sedis* a Pio IX edita.

prius a Nobis vel a censoribus nostris examinati fuerint, nostramque approbationem obtinuerint (1). Meminerint praeterea omnes clerici eisdem interdictum esse, ne ulla scripta in ephemeridibus vel quibuslibet libellis aut foliis periodicis vel alio quolibet modo sine Ordinarii venia provulgent (2); itidemque omnes, qui collectaneas aut folia periodica regendi munus sibi sumpserunt, cognitum habeant haec scripta Ordinarii censurae etiam quoad opiniones politicas et articulos in quibus facta narrantur subjici debere (3).

VIII. Cum recentiores increduli, ut systemata a se confecta quadam veritatis ementita specie induerent, asserere ausi sint inter revelationem seu catholicam fidem et humanam rationem magnum esse dissidium, eaque de causa se solam rationem audiendi consilium cepisse, totis intellectus ac ingenii viribus adlaborent concionatores, parochi eorumque vices gerentes, ut ostendant non modo nullam inter illas dissensionem inveniri sed e contra fidem rationem perficere ac sublimare, rectam vero rationem fidem vicissim veluti ducem ac magistrum sibi e coelo missum agnoscere. Quae populus facile perspiciet si haec duo sciat ac serio recogitet: Primum, tam fidem quam rationem, in eumdem finem, nempe ut per eas veritatem cognosceremus, a Deo nobis inditas esse; ac proinde minime Deum per illam docere nos posse, quae huic repugnarent. Secundum, veritates, quae ad fidem spectant duplicis generis esse: alias, quae humana ratione cognosci etiam possunt, alias, quae ejus captum omnino superant; circa primas autem omnimodam conformitatem inter se ac fidem rationem aperte ostendere,

(1) Conc. Trid. et Regulae Indicis.
(2) Regula 8.ª Congressus Cesaraugust.
(3) Responsa S. Inquisitionis.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

secundas vero extra luminis sui ambitum, sed minime secum pugnantes, esse cognoscere; atque eo ipso quod supra rationem sint nullam oppositionem inter hanc illasque inveniri umquam posse. Ubi vero fideles illam assertionem, cui praedicta systemata innituntur, nihil aliud esse quam putidum mendatium cognoverint, eosdem inducere curent praedicti verbi Dei ministri, ut illa, praesertim quae Concilium Vaticanum in suis canonibus ac Summi Pontifices Pius IX in Syllabo et Leo XIII in suis Litteris Encyclicis proscripserunt, videlicet: atheismum, pantheismum, naturalismum, rationalismum, materialismum, indiferentismum ac liberalismum, abhorreant atque detestentur. Eodem studio animum intendant parochi eorumque vices gerentes, ut sectae massonicae, carbonariae aliarumque ejusdem generis pravitatem fideles cognoscant atque non modo caveant, ne nomen illis dent, sed etiam communicationem cum iis, qui eisdem sunt adscripti, quantum fieri possit devitent. Encyclicam *Humanum genus*, in qua Summus Pontifex Leo XIII feliciter regnans mira de hac re documenta tradidit, attente perlegant, atque sectariorum sophismata diluant, et hypocrisim, qua se operiunt detegant. Doceant denique hujusmodi sectis nomen dantes, aut favorem qualemcumque praestantes earumque occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes excommunicationem Romano Pontifici reservatam incurrere; ad genus vero illarum pertinere societates biblicas, clericorum liberalium, filiorum tempe-rantiae, sociorum singularium, fenianorum, catholicorum veterum, solidariorum, internationalium, et aliae.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

## CAPUT III.

### De superstitione.

Maxime est superstitio fugienda, atque e populo a rectoribus animarum omni molimine eradicanda, utpote quae virtuti religionis et fidelitati Deo debitae opponitur per excessum: "non quia plus exhibeat in cultum divinum quam vera religio; sed quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet„ (1).

In aliquo opere superstitionem contingere est dicendum, quando vel nulla causae cum effectu connexio apparet, eo quod iste ab illa nec vi propria, nec divina, qua caret, institutione produci potest; vel aliqua vana aut falsa circunstantia, exempli causa, certi numeri, statae horae, nominum ignoratorum, aut characterum singularium adjicitur; vel fallibilibus mediis infallibilitas tribuitur; vel effectus sequutus statim evanescit.

Aliqua vero superstitionum genera, quae nempe in hac regione sunt communiora in medium singillatim proferre non alienum ducimus.

Aperta superstitio est dies faustos et infaustos observare, adeo ut in istis, v. gr. in die martis et veneris solummodo mala et adversa sint expectanda: ait namque Apostolus: *dies observatis, et tempora, et menses, et annos; timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis* (2).

"Nec in collectionibus herbarum medicinalium aliquas observationes aut incantationes licet attendere„ (3). Superstitiosum est igitur in die S. Ioannis

---

(1) S. Thom. II, II, q. 32, a 1.
(2) Ad Galat. IV.
(3) Decret., cap. *Non liceat*, q. 5, a. 26.

Baptistae rorem et herbas colligere, eo quod credatur hujus diei sanctitatem plus virtutis atque efficatiae eis conferre.

Superstitionis rei sunt qui, dum tredecim mensae accumbunt, pro certo habent aliquem ex illis eo ipso anno esse moriturum: item qui plena fiducia quasdam preces fundunt, eas ceu infallibiles habentes, ut in mortis articulo Dei Genitricem conspiciant, vel ne pecus a lupis laedatur, aut fulmina domum feriant: insuper, qui reliquias portant cum certa ob id fide non moriendi sine confessione: "quod si portentur ex fiducia Dei et Sanctorum, quorum sunt reliquiae, non erit illicitum„ (1).

Quidam, inquit Chrysostomus, aliquam partem Evangelii scriptam circa collum portant. Sed nonne quotidie Evangelium in Ecclesia legitur, ut audiatur ab omnibus? Deinde ubi est virtus Evangelii? In figuris litterarum, an in intellectu sensuum? Attamen ut Evangelium vel aliquam ejus partem collo appensam deferri prohibeatur, requiritur ut liber vel pagella in qua verba sacra exarantur, habeat aliquid ad invocationem daemonum pertinens, vel falsitatis, aut vanitatis, vel nomina ignota sub quibus aliquid illicitum lateat; vel ut spes habeatur in ipsa literarum forma, aut in quacumque istiusmodi re, quae ad divinam reverentiam non pertineat: "alias autem est licitum„—inquit Angelicus Doctor (2).

Superstitiosum est sanitatem a *salutatoribus* petere, quorum heic nomine veniunt qui virtutem ostentant et propter pecuniam eam exercent, pluribus medendi morbis insufflatione, verbis, vel manuum impositione, eo quod, inquiunt, septimi filii sint ex masculis natis nullo femineo partu interposito; quique non raro futura praedicere, stigmata impressa

---

(1) Homil. XLIII in Matth.

(2) S. Thom. II, II, q. 96, a. 4 in corpore.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

habere, laminas ardentes digitis illaesis attrectare, aliaque hujusmodi facere se jactant.

Neque habendi sunt superstitione immunes, juxta Divum Ligorium, qui amuleta, ligaturas quibusdam characteribus consignatas, vel orationes ad S. Birgittam, vel alias preces habent, aut certum adhibent numerum crucum, effectum omnino infallibilem ab eis expectantes.

Maxima uti prudentia decet parochos, ubi huic vitio extirpando operam praebeant: de iis tantum quae in sua vel vicinioribus paroeciis sint notae, superstitionibus sermonem habeant. Dum aliquis poenitens superstitiosus rudis atque in bona fide sit, et difficulter a superstitionibus, quas a suis majoribus recepit, abduci creditur, in sua simplicitate relinqui praestabit. Satius esset ac consultius rem in bonum sensum retorquere, vel in alium usum, quasi similem, sed pium mutare, juxta illud Divi Alphonsi Mariae: "Cum miseriis et aerumnis premeris recurre ad Sanctissimum Sacramentum, ad Crucifixum, ad Mariam Virginem, ad Beatum Antonium Patavinum, ad Sanctum Vincentium Ferrerium; lampadum eorundem adhibe oleum; utere chartulis Mariae Immaculatae, aut alicujus Sancti figuris; et in hunc modum quin pecces, poteris gratiam obtinere. Si secus egeris, gratiam non obtinebis, et peccabis.„

Quoniam dolenter atque intimo animi moerore pro comperto habemus aliquos, superstitionem in nostra dioecesi fovendo, quaedam scripta conficere ac venundare, quibus contra languores ac mala quaecumque maximam vim inesse ratum faciunt, quatenus hoc scandalum penitus ac citius eradicetur, omnes sacerdotes praecipimus hujus generis deceptores Nobis notos facere; quos si admoniti non resipiscant, condigna poena puniemus.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

## CAPUT IV.

### De divinationis superstitione in particulari.

Divinatio, nimirum superstitio, qua quis ope daemonis cognoscere vult res naturaliter incognoscibiles, maximopere in Sacris Literis damnatur. Ita enim in Deuteronomio legitur (1): *Nec inveniatur in te, qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria: Nec sit incantator, neque qui pytones consulat, nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem: omnia haec abominatur Dominus.* Et in Levitico (2): *Anima quae declinaverit ad magos, et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, et interficiam de medio populi mei.*

Triplex est divinitationis genus, quorum primum est per manifestam daemonum invocationem; secundum, per solam considerationem dispositionis vel motus alterius rei; tertium est, dum aliquid facimus, ut nobis manifestetur occultum (3).

Manifesta aut fere manifesta daemonis invocatio ad divinandum fit per librum, qui vulgo audit *Ciprianillo;* itaque quum aliqua in parochia haberi parochi comperiant, eum comburi omni contentione satagant; nec habentibus prius impertiant absolutionem, quam igni tradant vel tradituros promittant.

Praeter explicitam daemonis invocationem, est etiam pactum implicitum, quod in eo consistit, ut mediis naturaliter ad aliquid cognoscendum improportionatis utatur. "Neque requiritur, ut daemon aliquando pactus sit se ad talis vani medii adhibi-

---

(1) XVIII-10.
(2) XX-6.
(3) S. Thom. II-II, q. 95, a. 3.

tionem concursurum; eo enim ipso, quod quis vanitatibus iis utitur, daemon se immiscet, licet praeter intentionem utentis sit eum invocare„ (1). Eapropter illicitum est futura investigare per sortem, nisi quatuor conditiones adsint a Divo Thoma (2) requisitae; eis namque deficientibus, cum hujusmodi sortitiones, quas divinatorias vocant, nec causae sint, nec signa eventuum, nec ullam cum his connexionem habeant, cognitio nonnisi a diabolo expectari posset. Itaque minime fas est ventura vel peragenda cognoscere velle, considerando quae schedula ex aliquibus scriptis et in occulto repositis, vel quae festuca ex duabus inaequalibus accipiatur vel extrahatur, et quae verba librum aperienti occurrant.

Divinatio per somnia pluries ac gravissimis verbis in Sacris Paginis reprobata perhibetur. Sic enim dicitur in Levitico (3): *Nec observabitis somnia.* Et in Ecclesiastico (4): *Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum, sic et qui attendit ad visa mendacia, et secundum hoc visio somniorum.* Et alio ejusdem libri loco (5): *Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum: multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis.*

Attamen quandoque somnia Dominus immittit, queis tenemur credere, et ex quibus futurorum licet capere praenotionem. Ejusmodi fuere somnium Joseph (6), Pincernae (7), Pistoris (8), Pharaonis (9), Nabucodonosoris (10); et in novo Testamento, Mago-

(1) S. Lig. Op. Mor., l. III-8.
(2) II-II, q. 95, a. 8.
(3) XIX-26.
(4) XXXIV-2 et 3.
(5) XXXIV-6 et 7.
(6) Genes. XXXVII-7.
(7) Genes. XL-9 et 12.
(8) Genes. XL-16 et 17.
(9) Genes. XLI-1 et 9.
(10) Dan. II-31 et 35.

rum (1), et Joseph de Maria non dimittenda (2), de fuga in Aegyptum (3), et de redeundo ad Palestinam (4).

Quamvis Dominus promiserit quandoque loqui per somnia (5), somnia tamen a Deo immissa admodum rara sunt. Neque, ut divina dicantur, satis est rem evenisse: monet enim Scriptura (6): *Si surrexerit in medio tui qui somnium vidisse se dicat, et praedixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, non audies verba somniatoris.*

Praeter mores et vitam personae quae somniaverit, videndum ad quid somnium impellit, quemque effectum in anima producit.

Somniis a Deo immissis certissima conjunguntur signa, per quae facile a ceteris discriminantur: praeterea, ait Divus Gregorius, sancti viri inter illusiones atque revelationes, ipsas visionum voces aut imaginationes quodam intimo sapore discernunt, ut sciant, vel quid a bono spiritu percipiant, vel quid ab illusore patiantur. In dubio utrum somnia procedant a Deo, minime eis fides adhibenda, dicente S. Isidoro (7), non facile somniis tamquam divinis esse credendum, èo quod ex variis causis oriantur nobis non satis perspectis, et Sathan saepe in Angelum lucis se transfiguret.

Superstitionem etiam aperte redolet futurum praedicere ex manuum lineis. Curent itaque parochi, ut fideles abstineant ab aegyptiis, vulgo *gitanos*, consulendis, quo ex manuum ostensione bonam sortem seu fortunam sibi enuncient. Superstitiosum quoque est ab his et aliis vanissimis atque ut plu-

(1) Matth. II-12.
(2) Matth. I-20, et 21.
(3) Matth. II-13.
(4) Matth. II-19 et 20.
(5) Num. XII-6; Joel II-28.
(6) Deut. XIII-1 et 3.
(7) Lib. sentent. c. VI.

rimum erroneis et vagis hominibus, vatibus aut sortilegis, quaerere, ut per chartas mulierum, vulgo *sabias*, vel cribri agitationem, aut aliis mediis "per quae curiosorum et imperitorum hominum mentes facile decipiuntur„ (1), occulta aperiant, prout fures furtaque, et futura praedicent, v. g. cum qua vel quo sint interrogantes matrimonium inituri, quot habebunt filios, etc.

Omnino nefas est a *tabulis rotantibus* sciscitari, ne joci quidem aut experimenti ratione; cum enim neque ligno neque pario lapidi ascribi possit facultas responsa dandi de rebus incognitis aut futuris; cumque nec Sancti cum Christo regnantes, nec boni Angeli queant per calumnias familiarum pacem turbare, blasphema quaeque asserere, ac stultissimae hominum curiositati satisfacere, hujusmodi *mensarum gyrantium* responsa nonnisi daemonem auctorem habent.

"Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus; dummodo non tendat ad finem illicitum aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et haereticalis„ (2). Usus magnetismi prohibitus fuit praesertim, quia "somnambulismi et clarae intuitionis, uti vocant, praestigiis, mulierculae illae, gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque conspicere effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac lon-

---

(1) Conc. I Mediol. X.
(2) C. S. Officii 28 Jul. 1847.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

ginqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere, ausu temerario praesumunt„ (1). Idcirco usus magnetismi seu mesmerismi, prout vulgo fit, in concreto seu in praxi, saltem in omnibus suis gradibus, nullomodo in suis parochiis ab animarum curatoribus est permittendus, quippe qui illicitus est quum ratione finis, tum ratione modi et ipsius periculi physici.

Similis istis, quamvis pejor et recentior, spiritismi est superstitio, quae in eo vertitur, ut a spiritibus, v. gr. anima patris aut alicujus percelebris hominis circa plurima occulta, praesertim ad alteram vitam spectantia, quaeratur, personas quasdam adeundo, quarum manibus spiritus utuntur. Haec superstitio poenarum aeternitatem inficiatur, plura responsa doctrinae christianae adversantia edit, ejusque patroni in sectam coaluerunt, quo melius Ecclesiam impugnarent: quapropter haec novissima superstitionis diabolicae forma non semel damnata est, sicut et Nos damnamus, omnes nostrae dioecesis fideles admonendo cum Sancto Petro Chrysologo, quod "qui jocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo.„

(1) Cong. S. Officii 4 Augusti 1856.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# TITULUS II.

## DE SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS.

---

## CAPUT I.

### De sacramentis in genere.

Per Christum maxima et pretiosa nobis donavit Deus (1), septem nempe sacramenta, ut simus initium aliquod creaturae ejus (2), populus acceptabilis (3), semen cui benedixit Dominus (4), membra Christi (5), qui est caput (6), domestici Dei (7), et filii charissimi (8).

Quatenus autem insignissima haec dona omni cum fructu fideles suscipiant, sedulam in concionibus navent operam, qui sacrae militiae nomen dederunt, ut populus rite intelligat necessitatem ac naturam sacramentorum, caeremoniarum significationem, necnon dispositiones quibus est opus ad eadem digne recipienda.

Mysteriorum Dei dispensatores (9), utpote Christi personam gerentes, qui est Sanctus (10), ad sa-

---

(1) II Pet. I-4.
(2) Jac. I-18.
(3) Tit. II-14.
(4) Isai. LXI-9.
(5) I Cor. VI-15.
(6) Ephes. IV-15.
(7) Id. II-19.
(8) Id. V-1
(9) I Cor. IV-1.
(10) Marc. I-24.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

cramenta conferenda accedere nolint sine charitate de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta (1). Neque opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiori, sequantur (2). Materiam et formam a Christo institutas adhibeant, atque attente conjungant sine ulla prorsus mutatione, cumque intentione determinata, actuali vel saltem virtuali, "faciendi quod facit Ecclesia„ (3). Ne sanctum dent canibus (4), quaerant sacramentorum ministri, ut fidelis quis inveniatur (5), atque prudenter ea denegent publicis peccatoribus, et occultis, si occulte ii petierint.

Recepti et approbati Ecclesiae catholicae ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consueti nec contemni nec sine peccato a ministris pro libito omitti possunt (6). Rituale Romanum integre observetur (7), non obstante quacumque contraria etiam immemorabili consuetudine (8). Nec aliae adhibeantur formulae, dummodo non constet a Sacra Rituum Congregatione fuisse approbatas (9). Hujusce autem Congregationis decreta obligant quoad conscientiam (10).

Rochettus non est vestis sacra adhibenda in administratione sacramentorum (11): superpelliceo et stola uti debet. Nefas est in sacrorum dispensatione linguam vernaculam adhibere: quae tamen latine proferuntur saepe saepius parochi in concionibus vel catechesibus facili exponant sermone. Memoriae minime fidant sacramentorum ministri; sed ex Rituali legant pie ac distincte, sine ulla praecipitatione.

(1) I Tim. I-5.
(2) Ex prop. I ab Innocent. XI damn. feria V, die 2 Mart. 1679.
(3) Conc. Flor. decret. pro Armen.
(4) Matth. VII-6.
(5) I Cor. IV-2.
(6) Conc. Trid., sess. VII, can. 13.
(7) S. R. C. 7 Sept. 1850.
(8) S. R. C. 31 August. 1872.
(9) S. R. C. 23 Maji 1835.
(10) S. R. C. 11 Sept. 1847.
(11) S. R. C. 10 Jan. 1852.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

Gratis accepta, gratis danda (1). Ut igitur non vituperetur ministerium nostrum (2), caveat sacerdos "ne in sacramentorum administratione aliquid quavis de causa vel occasione, directe vel indirecte exigat, aut petat; sed ea gratis ministret, et ab omni simoniae, atque avaritiae suspicione, nedum crimine, longissime absit.„ (3). Quoniam vero dignus est operarius mercede sua (4), licite nomine eleemosynae sacerdotes a fidelibus oblationes accipere possunt. Imo, non quidem quasi donorum Dei pretium, sed ratione honestae sustentationis, et titulo justitiae, vel coram ipsis tribunalibus, stipendia pro sacramentorum administratione assignata in edicto vel syllabo hac super re a Nobis confecto, parocho a subditis poscere fas est.

Baptismi, communionis paschalis, viatici, matrimonii et extremae unctionis administratio ad parochum spectat; absque ejus igitur licentia, quae in sacramento conjugii expressa requiritur, aut Episcopi praecepto, secluso gravissimae necessitatis casu, nullus illa sacerdos conferre praesumat.

Ipsi curam animarum non gerentes ea sacramenta, sine quibus salus haberi nequit, in extrema necessitate constitutis, etiam cum propriae vitae gravi discrimine, ex charitate administrare tenentur. Parochos praesertim enixe obtestamur et provocamus, ut parati sint ac prompti ad sacramenta, quacumque diei et noctis hora, dispensanda, nullo deterriti incommodo nec periculo. Impendant et superimpendantur pro animabus libentissime (5); nec fugiant tamquam mercenarii, qui non sunt pastores (6). Si

(1) Matth. X-8.
(2) II Cor. VI-3.
(3) Rit. Rom. tit. I, cap. unic., n. 13.
(4) Luc. X-7.
(5) II Cor. XII-15.
(6) Joan. X-12.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

vero, quod absit, eorum ignavia vel secordia, aliquem sine sacramentis e vivis excedere contingat, et gravissimo crimine obstringi, et poenis in jure statutis obnoxios fieri, parochi memorentur.

In sacramentis administrandis sacerdotes pro omnibus sint aeque solliciti absque respectu ad uniuscujusque vel statum vel fortunas. Pro Christo enim legatione funguntur (1), qui pro omnibus tradidit semetipsum (2): idem praeterea est Dominus omnium (3) cui aequaliter est cura de omnibus (4), et apud quem non est personarum acceptio (5). Meminerint ergo sacramentorum ministri se omnibus esse debitores (6), et cupiant omnes in visceribus Jesu Christi (7), ut omnes salvi fiant. (8)

Ad parochos privative spectat custodia librorum sacramentalium, videlicet, baptizatorum, confirmatorum ac nubentium, necnon defunctorum et status animarum. Hi libri clare, munde atque atramento coloris persistentis descripti, parochiali sigillo, minime vero regio signo, muniri debent. Ea quae alicui injuriae vel infamiae sint, quamvis veritate nitantur, adnotari prohibentur. Emendationes in fine et ante subscriptionem apponantur.

## CAPUT II.

### De necessitate sacramenti baptismi.

Quum in baptismo consepeliatur homo Christo, et resurgat per fidem operationis Dei, qui suscitavit

(1) II Cor. V-20.
(2) Rom. VIII-32.
(3) Rom. X-12.
(4) Sap. VI-8.
(5) Rom. II-11.
(6) Id. I-14.
(7) Philipp. I-8.
(8) I Cor. X-33.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

illum a mortuis (1); quumque habeat rationem illuminationis, qua semel illuminati sumus splendore fidei (2), sine qua impossibile est placere Deo (3); necnon dicatur in Sanctis Scripturis circumcisio non manufacta in expoliatione corporis carnis (4), qua vetus homo noster, crucifigitur (5), et circumcidimur peccato in quo omnes peccaverunt (6), nemo non videt quanti referat, ut sacramentum baptismi, sine quo nemo potest introire in regnum Dei (7), parvulis quamprimum conferatur, ne forte, quod numquam satis flendum, absque illo ex hac vita decidant.

Nil itaque mirum, si in Concilio primo Mediolanensi (8) sub poena excommunicationis decernatur, ut ante nonam diem post nativitatem pueri sacramentum regenerationis ministretur: imo pluribus in locis per statuta synodalia non licet ultra tertium diem baptismi collationem infantibus diferre.

Studeant itaque omnes curam animarum habentes, quantum maxime possint, ut abusus eradicetur baptisma parvulorum absque rationabili eaque gravissima causa protrahendi; parentesque enixe et accurate doceantur discrimen aeternae salutis, quo filii constituuntur, donec lavacro aquae in verbo vitae mundentur (9).

---

(1) Coloss. II-12.
(2) Heb. VI-4.
(3) Hebr. XI-3.
(4) Coloss. II-11.
(5) Rom. VI-6.
(6) Id. V-12.
(7) Joan. III-5.
(8) Part. II, tit. *De bapt.*
(9) Ephes. V-27.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# CAPUT III.

## De baptismo privato.

Minister baptismi est sacerdos, cui ex officio competit baptizare: in casu autem necessitatis, non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus et mulier, imo etiam paganus et haereticus tingere potest (1). Omnis ideo homo ratione utens, quoties aliquis non baptizatus in vitae periculo est constitutus, eidem baptismum, ordine dignitatis inter ministros, si plures adsint, servato, conferre debet: alioquin "reus est perditi hominis„ (2).

Siquidem frequenter accidit, ut baptismus ab obstetricibus administretur, has foeminas quam diligentissime examinet parochus, easque edoceat de recte conferendo baptismate, et de aliis, dummodo fieri queat, testibus adhibendis.

Baptizandi sunt foetus abortivi, etiam paucorum dierum, si evidentissima corruptionis signa non ostenderint; et quidem per inmersionem in aqua tepida, si nondum sunt formati; absolute, aut sub conditione, prout embryon motum vitalem habere, vel non, videatur. Baptizari necnon debent infantes nondum editi, etiamsi nullum eorum membrum prodierit, aut mater sit emortua; conditionate tamen, et dummodo vel ope siphunculi ablui possint. Monstrua a muliere edita tingi debent, in singulis capitibus, modo plura habeant, absolute aut sub conditione, prout caput humanam vel non speciem praeseferat. At vero, nisi necessitas urgeat, Episcopus consulendus.

In mortis periculo, modo alii ministri non repe-

(1) Conc. Flor. in decret. union. Armen.
(2) Tert. *De bap.*, cap. XVII.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

riantur, parentes propriam prolem baptizare debent: neque ideo cognationem ullam contrahunt.

Cum de valore baptismi privati constet, rituales tantum caeremoniae sunt explendae: baptizandi autem sunt parvuli, "quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine ulla dubitatione testentur„ (1). Quum vero "prudens et probabilis subest dubitatio, an quis fuerit baptizatus, nec, diligenti praemisa indagatione, potuit rei veritas innotescere„ (2), tum in collatione baptismi utendum est forma conditionata.

Infantes ergo expositi aut inventi sub conditione sunt baptizandi, etiamsi collo appensum habeant testimonium baptismi, nisi certa habeatur notitia personae, a qua schedula sit exarata, et aliunde indubitatum desumatur judicium baptismatis rite eisdem collati.

## CAPUT IV.

### De solennitatibus baptismi.

Extra casum necessitatis baptismus nullo alio in loco quam in ecclesia administrari licet. "Baptisterium sit decenti loco et forma, materiaque solida, et quae aquam bene contineat, decenter ornatum et cancellis circumseptum, sera et clave munitum, atque ita obseratum, ut pulvis, vel aliae sordes intro non penetrent, in eoque, ubi commode fieri potest, depingatur imago S. Joannis Christum baptizantis„ (3). Praeterea "fontes qui in posterum construantur, duas habeant concavitates ita dispositas, ut una ad continendam aquam benedictam deserviat, altera

(1) Conc. Carthag. V, can. 6.
(2) Bened. XIV *De Syn. dioec.*, lib. VII, cap. VI, num. 2.
(3) Rit. Rom. tit. II, cap. I, num. 30,

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

vero, inferius perforata, ad excipiendam aquam ex infantis capite profluentem„ (1).

Aqua solemnis baptismi sit eo ipso anno benedicta in sabbato sancto Paschatis, vel sabbato Pentecostes: eidem et si valde fuerit imminuta, alia non benedicta, in minori tamen quantitate, admisceri potest. Simili in casu et eodem modo sanctis oleis aliud non consecratum adjici licet. Chrismate anni praecedentis uti fas est, quando recens nondum susceptum fuerit; nullimode autem hoc posthabito. Vascula chrismatis et olei sacri argentea sint, aut saltem stannea; propriam unumquodque inscriptionem habeat ad errorem vitandum, et prope ipsum fontem decenter asserventur. Unctio pollice, non pennicillo seu virgula, fieri debet (2). In administrando sacramento baptismi licite potest sacerdos uti stola bicolori, ex una parte violacea, et ex altera alba (3).

Filii nati a civili tantum matrimonio nexis, qui renuunt jungi ab Ecclesia, non debent baptizari cum pompa et solemnitate, cum populi nempe concursu, pulsando organum et campanas (4).

Nomina baptizandis imponenda Sanctorum sint cum Christo regnantium, non gentilium "ut et in ipso vitae ingressu, cum ethnicis ne nomen quidem commune fideles habere velle protestentur„ (5). Expedit etiam ut fratribus diversa dentur nomina, vel saltem aliud addatur, ad eos distinguendos; maximeque decebit, ut qualibet in ecclesia Romani habeatur exemplar Martyrologii ad nomina desumenda.

---

(1) Concil. Compostell. XXI, tit. II., cap. II.
(2) S. R. C. 31 August. 1872.
(3) S. R. C. 26 Mart. 1859.
(4) S. R. C. 31 Jul. 1867.
(5) Conc. Mediol. IV, part. II, cap. *Quae pert. ad sacr. bapt.*

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# CAPUT V.

## De patrinis baptismi.

Ne matrimonii multiplicentur impedimenta, unus tantum vel summum duo diversi sexus permittuntur patrini. Quamquam satius est, ut adhibeatur, licite tamen omittitur patrinus in baptismate privato; minime vero in solemni, regulariter loquendo.

Ad difficultates vitandum abs re non erit sane, ut populus semel in anno a parocho audiat, qui susceptores esse prohibentur. Sunt autem haeretici; infideles; publice excommunicati; interdicti; criminosi aut infames; qui sanae mentis non sunt; qui ignorant rudimenta fidei; pater et mater baptizandi; schismatici; publice concubinarii; pertinentes ad aliquam damnatam sectam; manifeste impii; qui communionem paschalem adimplere nolunt; non confirmati; impuberes; peregrini, et muti. Quatinus pluribus in constitutionibus a Conciliis provincialibus vel Synodis dioecesanis editis (1) munus suscipiendi baptizatum de sacro fonte clericis omnibus ad vitandam familiaritatis occasionem prohibetur, decernimus ne monachi, sanctimoniales et clerici in sacris constituti, officium patrinorum suscipiant; his vero, id est, sacris initiatis, interposita rationabili causa, dummodo Ordinarii licentia obtineatur, infantem de sacro fonte levare permittitur.

Vel maximam prudentiam adhibeant parochi in patrinis rejiciendis: peccatores et excommunicatos ab hoc munere nequaquam arceant, nisi evidenter, vere publice, et universim ut tales habeantur. Si

---

(1) Concil. prov. Benevent. XIII, ann. 1656, tit. XXXIX, num. 10; S. Carol. Borr. instruct. *De baptismi administratione;* Synod. Barcinon. lib. II, tit. II, constit. VIII.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

gravia e recusatione imminere mala videntur, parochi Ordinarium consulant (1). Ad litigia vitanda, numquam publice indicetur, qua de causa patrini non admittuntur. Permitti potest eis qui patrinorum munere sunt indigni, ut tamquam testes assistant, quin tamen baptizandum tangant.

Procurator qui nomine alterius suscipit, non contrahit cognationem sibi sed mandanti, qui ideo est vere et unice patrinus (2). In collatione baptismi interrogationes non possunt fieri vernacule; nec vernacule iterari, postquam latine factae fuerint (3). Responsiones vero patrini et matrinae non debent latino idiomate exprimi (4). Patrini in baptismo recitare possunt *Pater* et *Credo* lingua vernacula, dum parochus ea recitat latino sermone (5). In memoriam patrinorum parochi vertant suscepti muneris praestantiam; contractam cognationem cum baptizato, hujusque patre et matre; atque obligationes, quibus obstringuntur, imprimis pueri instructionem circa fidem et mores defectu parentum.

## CAPUT VI.

### De aliis post baptismum agendis.

Ne ignorantia ulla excusari valeant qui in baptismo spiritualem cognationem contraxerunt, sacrosanctum Concilium Tridentinum statuit, ut parochus "in libro eorum nomina describat„ (6). Idem expresse decrevit Concilium provintiale Mediolanense VI (7), nempe, ut "eorum, qui domi aut in

(1) S. Poenitent. 10 Decemb. 1860.
(2) S. C. Concilii 11 Jun. 1881.
(3) S. R. C. 31 August. 1867.
(4) S. R. C. 15 April. 1880.
(5) S. R. C. 20 Decembr. 1881.
(6) Conc. Trid. sess. XXIV *De reform.* matr. cap. II.
(7) *De bapt.*

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

ecclesia, tanquam compatres ad baptismum adhibiti sunt, nomina in libro baptizatorum parochus notet, ne impedimentum matrimonii contrahendi ignoretur„.

Rituale Romanum diserte praecipit (1), ut "antequam infans ex ecclesia asportetur, aut susceptores discedant, eorum nomina, et alia de administrato baptismo ad praescriptam formam in baptismali libro parochus accurate describat„. Cui apprime consonat S. Carolus (2) edicens, ut notet parochus "antequam discedatur, si commode fieri potest, nomina, et cognomina, ac patriam infantis, parentum, et patrini, ac matrinae, sive in ecclesia, sive domi infans baptizatus est„.

Districte et Nos praecipimus omnibus ac singulis parochis, vel eorum vices gerentibus, ut in ipsa die baptismi, si fieri potest, omnia quae ad ipsum pertinet summa diligentia in libro describant. Quum baptizatus filius legitimus non fuerit, si parentes habiles ad contrahendum recognoverint eum coram testibus et in scriptis, notetur in libro tamquam eorum *filius non ex legitimo matrimonio natus;* si vero vel patres eum non recognoverint, vel ad contrahendum sint inhabiles, inscribatur *natus a patribus ignotis*; si a matrimonio civili ortum duxerit, ut talis inscribatur; si infans privatim valide, vel in ecclesia sub conditione baptizatus fuerit, utrumque notandum.

Summopere commendamus, ut juxta antiquum morem mulieres puerperae ad ecclesiam accedant benedicendae. Ad imitationem Deiparae Virginis, conveniens est, ut mulieres benedicendae secum ad ecclesiam deferant prolem. Si haec, baptizata vel non, fuerit demortua, non ideo in orationibus Ritualis est aliquid mutandum (3). Ad benedictionem

(1) Tit. II, cap. XI, num. 34.
(2) Instruct. *De baptismi administr.*
(3) S. R. C. 12 Septemb. 1857.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

post partum jus tantummodo habent mulieres quae ex legitimo matrimonio pepererunt (1). Nolumus parochos benedictionem impertiri mulieribus non conjugatis, neque iis, quae solo inani matrimonii civilis vinculo conjunguntur (2).

## CAPUT VII.

### De confirmationis sacramento.

SIQUIDEM non coronatur, nisi qui legitime certaverit (3), ineffabili Dei gratia factum est, ut, vi sacramenti confirmationis, qui jam per baptismum sunt cohaeredes Christi (4), et filii Dei (5), et de corpore Ecclesiae (6), roborentur ad pugnam hujus vitae, in qua caro concupiscit adversus spiritum (7).

Quamvis hoc sacramentum ad salutem omnino necessarium non sit, usque adeo ut sine illo salvus quis esse non possit, magni tamen refert, ut ab omnibus christianis suscipiatur, hac praesertim miserrima nostra aetate insidiis ac periculis spiritualibus plena.

Confirmatione baptizati fronte inunguntur atque, ut Apostoli in die Pentecostes (8) replentur Spiritu Sancto; super eos nempe venit Spiritus Sanctus (9), et ab illis accipitur (10) per impositionem manus Episcopi: signo crucis signantur, ut summopere venerentur, atque amore afficiant Christum crucifixum, judeis quidem scandalum, gentibus autem stul-

---

(1) S. C. Concilii 18 Jun. 1859.
(2) S. C. Concilii 31 Jun. 1867.
(3) II Tim. II-5.
(4) Rom. VIII-17.
(5) Joann. III-1.
(6) Concil. Flor. in decret. pro unione Armen.
(7) Galat. V-17
(8) Act. Apost. II-4.
(9) Act. Apost. XIX-6.
(10) Act. Apost. VIII-17.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

titiam (1), eumque confiteantur coram hominibus (2); alapa tandem eisdem infligitur, ut sciant se jam equites esse in christiana militia constitutos, in qua sint viri fortes et praelientur bella Domini (3).

Praestantiam itaque tanti sacramenti fideles parochus edoceat, ne forte isti lethalis culpae rei evadant illud respuendo, quum suscipere queunt; eisque explicet quacumque aetate confirmationem accipi posse, adultos vero sacrilegii crimine obstringi, modo peccato gravi inquinati confirmentur.

Iidem a patrinorum munere excluduntur in confirmatione, qui in baptismo, et in illa contrahitur spiritualis cognatio inter easdem personas quam in sacramento regenerationis. Fas est mutare nomen in confirmatione; immo debet aliud assumi, si conveniens non habeatur. Character semper confertur in hoc sacramento valide administrato (quod et de baptismo dici debet), licet propter subjecti indignitatem gratia non detur.

Omnibus viribus allaboret parochus, ut adulti ad hoc tantum beneficium sumendum optime disponantur: pro posse curet, ut, qui jam sacro convivio fuerint admissi, coelesti sese pane reficiant, priusquam sacramento confirmationis roborentur: convenientissimum praeterea judicamus, ut, dummodo fieri queat, per aliquot dies spiritualibus vacent exercitiis adulti confirmationem suscepturi: Episcopus denique hoc sacramentum ministraturus quo par est honore in paroeciis afficiatur.

In confirmatione, juxta praescriptum a Pontificali Romano, unus tantum patrinus adhibeatur, vir aut mulier juxta confirmandi sexum, jam sacramento confirmationis roboratus, et, si fieri possit, a pa-

---

(1) I Cor. I-23.
(2) Matth. X-32.
(3) I Reg. XIII-17.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

trino baptismi diversus, quique manum super confirmandum ponat sufficit: quamvis igitur in confirmatione generali duo sint patrini, unusquisque tamen confirmatus unum patrinum habet.

## CAPUT VIII.

### De sanctissimo Eucharistiae sacramento.

Dominus patiens et multae misericordiae (1), miserator et misericors (2), cujus est magnificentia, et potentia, et gloria (3), panis vivus qui de coelo descendit (4), cum dilexisset suos, in finem dilexit eos (5): in qua nocte tradebatur (6) sciens quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, illis et memorabilibus et sacratissimis verbis: *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus* (7), panem in corpus, vinum autem in sanguinem suum convertit, adeo ut sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totus Christus contineatur (8); seque, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (9), alimentum praebuit hominibus, ut filii Dei facti (10), atque divinae naturae consortes (11), vitam habeant, et ut abundantius habeant (12), in eo manentes (13), qui dat vitam mun-

---

(1) Num. XIV-18.
(2) Psalm. CII-8.
(3) I Paralip. XXIX-11.
(4) Joan. VI-51.
(5) Joan. XIII-1.
(6) I Cor. XI-23.
(7) Marc. XIV-22 et 23.
(8) Conc. Trid. sess. XIII, can. 3.
(9) Matth. XXVIII-20.
(10) Joan. I-12.
(11) II Petr. I-4.
(12) Joan. X-10.
(13) Joan. VI-57.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

do (1), et reficit omnes (2), et cujus deliciae esse cum filiis hominum (3).

Quoniam quicumque manducaverit panem hunc indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini (4), nec nemo synaxim adeat absque veste nuptiali (5) charitatis, et pedum lotione (6) spirituali, seu animi candore. "Nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debet nisi necessitas urgeat, et copia confessoris desit„ (7).

In honorem hujus sacramenti propter periculum vomitus, atque ut detur intelligi, quod Christus, qui est res hujus sacramenti, et charitas ejus, debet primo fundari in cordibus nostris (8) jejuni ad sacram mensam accedere debent christiani, "ita ut saltem a dimidia antecedentis diei nocte usque ad illud temporis punctum„ (9) quo Eucharistia accipitur, nihil omnino comederint aut biberint.

Piis meditationibus exerceantur fideles priusquam panem supersubstantialem comedant, quo "anima de Deo saginatur„ (10); post sacram vero communionem, per aliquid temporis in oratione remaneant, Ei rependentes gratiarum actiones, cujus opus confessio et magnificentia (11), quique escam dat timentibus se (12). Congruit insuper, ne statim post Eucharistiae susceptionem fideles exspuant, aut edant sine causa. Si de communione generali agitur,

---

(1) Joan. VI-33.
(2) Matth. XI-28.
(3) Prov. VIII-31.
(4) I Cor. XI-27.
(5) Matth. XXII-11 et 12.
(6) Joan. XIII-5.
(7) Concil. Trid. sess. XIII, cap. VII.
(8) S. Thom. p. III, q. 80, a. 8 in corp.
(9) Catech. Conc. Trid. part. II *De Euch. sacr. n. 58.*
(10) Tertul. *De resurr. carn.*
(11) Psal. CX-3.
(12) Psal. CII-8.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

parochus parvam concionem habeat ad explicandum populo divina amoris mysteria: haec etiam fieri conceditur, postquam sacerdos se communicavit, priusquam adstantibus communionem distribuat (1).

## CAPUT IX.

### De Eucharistia distribuenda.

Ab Eucharistica communione sunt arcendi concubinarii, meretrices, blasfemi, feneratores, sortilegi et ceteri publici peccatores, dummodo tales revera sint et adstantibus notorii; omni tamen prudentia, ad graviora mala vitanda, et de archipresbyteri consilio, vel Episcopi, si res moram patiatur; item amentes, quando non habent lucida intervalla, atque ii qui propter aetatis imbecillitatem nondum hujus sacramenti cognitionem habent.

Nequit administrari sacra communio in nocte Nativitatis Domini, nisi ex apostolico privilegio; neque a feria V hebdomadis majoris post Missam usque ad dominicam Paschatis; licite autem potest dari in Missis de requiem, et ante et post, omissa tamen benedictione atque *alleluia* in tempore paschali: licet etiam Eucharistiam dispensari cum paramentis violaceis. Negari nequit communio fidelibus extra Missam (2): omni tempore quo Missa celebrari, communio concedi potest.

Nulli tradendâe plures Eucharistiae formae, nec particula consuetis grandior, devotionis vel alterius rei ergo. Si hostiae deficiant, potest sacerdos, justa interveniente causa, in duas vel summum tres partes, quae singulis distribuantur, dividere formas

---

(1) S. R. C. 12 Septemb. 1857.
(2) S. R. C. 7 Decemb. 1844.

consecratas, quas habuerit; vel etiam majoris a se sumendae particulam detrahere.

Expedit, ut mento communicantium tobalea, vel mappa supponatur: uti etiam conceditur tabellis ex metallo (1); nequaquam vero ipsa patena consecrata. Improbamus insuper, ut fidelibus, dum communicant, bursa detur corporalium: nec parochi committant, ut fideles linteum deosculentur, quod ante pectus apponitur. Corporale explicatum super altare non maneat, nisi in ipso actu Eucharistiae distributionis.

## CAPUT X.

### De Eucharistia asservanda.

In admirabili Eucharistiae sacramento est corpus et sanguis Domini, non tantum in usu, dum sumitur, sed ante et post, adeo ut remaneat verum corpus Jesu Christi in hostiis seu particulis consecratis quae supersunt (2). Consuetudo autem asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam sic antiqua est, ut eam saeculum etiam Nicaeni Concilii agnoverit (3).

Eucharistia perpetuo asservari debet in Cathedrali, parochialibus et quasi parochialibus ecclesiis; in aliis vero non licet, nisi ex privilegio apostolico, vel propter immemorabilem consuetudinem: in uno tantum altari esse potest, in majori nempe, generatim loquendo, Ecclesia Cathedrali excepta. Occasione alicujus festi, tridui, novendialis, aut mensis, licet Eucharistiam ab altari majori, super quo asservatur, ad altaria transferre in ecclesiae lateribus

(1) S. R. C. 16 Mart. 1876.
(2) Conc. Trid. sess. XIII, can. 4.
(3) Conc. Trid. sess. XIII, cap. VI.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

erecta, dummodo tamen in duobus altaribus continuo non asservetur (1).

Tabernaculum ligneum, aliave pretiosiori materia constans, extra deauratum debet esse et satis grande, atque ita aptatum, ut commode Sanctissimum Sacramentum depromi queat; in eo sculpi aut depingi possunt symbola et imagines quae devotionem foveant. Interiora tabernaculi panno serico albo contegantur, cui, si deficiat, aequivalet simplex auratura. Tabernaculum debet esse in medio altaris bene obseratum; ejus claves quam diligenter custodiantur a parocho; in ecclesiis vero monialium a capellano: super illud sit tantum crux parva; nihil ante nec pone habeatur; neque effigies SS. Cordis Jesu collocetur in medio altaris in posteriori parte tabernaculi in quo asservatur SS. Eucharistiae sacramentum (2). Tabernaculum, si commode fieri potest, tegendum est conopeo ex panno, sive gossypio, sive lana, sive cannabe contexto. Intro haberi debent corporalia benedicta; non autem sancta olea, nec reliquiae, nec purificatorium, nec vas aquae.

Pyxis, in qua sacra reconditur Eucharistia, debet esse benedicta: ejus cuppa sit vel aurea, vel argentea, vel stannea, vel etiam cuprina, intus semper deaurata.

Lampades plures accensae, quae ex oleo olivae nutriantur, vel saltem una in conspectu SS. Eucharistiae semper die noctuque colluceat. Necesse non est, ut lampas ope chordularum suspendatur; sustentari licet brachio ex metallo parieti infixo ad similitudinem cornucopii: tolerari potest, prout etiam Sacra Rituum Congregatio declaravit, usus adhibendi lampades ex vitro non pellucido et diaphano, sed colore aliquo tincto. Curam gerant parochi,

(1) S. R. C. 2 Jun. 1883.
(2) S. R. C. 31 Mart. 1887.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

quantum in ipsis est, ut lumen, quo Christus, lucis aeternae candor, significatur, nunquam coram augustissimo Sacramento deficiat intra et ante altare; alioquin in eos animadvertemus.

Particulae consecratae, quae usui infirmorum et aliorum fidelium habeantur, frequenter, videlicet in unaquaque hebdomada, renoventur: hostiae vero consecrandae sint orbiculatae et recentes, a paucis nempe diebus confectae, et, quoad fieri potest, absque ulla prorsus macula.

## CAPUT XI.

### De communione frequenti et spirituali.

Quoad frequentem communionem, parochus, uti talis, in foro externo judicium sibi arrogare nequit. Frequens ad sacram alimoniam accessus, ut statuit Innocentius XI, confessariis est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, et frequentiae fructu, et ad pietatem processu, quod prospiciunt poenitentium saluti profuturum, id illis praescribere debebunt.

Primi fideles erant perseverantes in communicatione fractionis panis (1): Synodus autem Tridentina (2) optabat, "ut singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret„.

Parochi et ceteri quos constituit Dominus super familiam suam (3), ope omni studeant, ut fideles non

(1) Act. Apost. II-42.
(2) Sess. XXII, cap. VI.
(3) Matth. XXIV-45.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

raro panem Angelorum suscipiant, quo vita Jesu manifestetur in corporibus suis (1), et impleantur in omnem plenitudinem Dei (2), et abundent in omne opus bonum (3), et multum fructum ferant (4). Ad id facilius consequendum, expedire vel maxime judicamus, ut aliquae intra annum habeantur communiones generales solemniter quantum liceat dispositae, et aliis sacerdotibus adhibitis, tum ad festum honorandum, tum ad sacrilegia in confessione vitanda, quae ex verecundia erga proprium parochum ut plurimum provenire ob omnium oculos versatur. Pias confraternitates, a quibus sacramentorum praescribitur frequentia, opera omni parochus enitatur, ut vel erigat vel foveat, quatenus omnibus in dominicis et festis, quiquam sint, quoad ejus fieri potest, qui ad sacram mensam accedant.

Parochi et confessarii poenitentibus, ut communionem spiritualem frequentem persuadeant, toto animo cupimus. Qui enim spiritualiter communicant, illius propositi coelestis panis fructum et utilitatem sentiunt (5). Ad communionem spiritualem requiritur, ut cum fide, contritione, et amore Dei quis exoptet Christum in sacramento suscipere, cum realiter communicare nequit. Haec communio omni loco et tempore fieri potest, imprimis autem intra Missam, dum sacerdos communicat.

Nihil sibi parochi habeant antiquius, quam ut corda fidelium in amore erga venerabile Eucharistiae sacramentum accendant; omnem impendant industriam atque operam, quo parochiani veniant, et adorent et procidant ante Dominum (6), cujus con-

(1) II Cor. IV-10.
(2) Ephes. III-19.
(3) II Cor. IX-8.
(4) Joan. XV-5.
(5) Conc. Trid. sess. XIII, cap. VIII.
(6) Psalm. XCIV-6.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

versatio amaritudinem non habet (1); et accedant, ut illuminentur (2), ad thronum gratiae (3); et hauriant aquam in gaudio de fontibus Salvatoris (4), apud quem est fons vitae (5), ex quo qui biberit non sitiet in aeternum (6). Ad id ipsi sacerdotes exemplum dent, omnibus diebus dulcissimum Jesum in sacramento amoris invisentes; et officii divini pensum, vel saltem aliquas horas, ante tabernaculum, ubi possint, provoluti persolvant reverenter.

## CAPUT XII.

### De puerorum communione.

Nulla pro pueris ad eucharisticam mensam admittendis aetas ab Ecclesia est definita. Infantibus carentibus usu rationis, qui non possunt distinguere inter cibum spiritualem et corporalem, dari non debet Eucharistia; ad hujus namque sumptionem actualis exigitur devotio, quam tales habere nequeunt (7). Requiritur ergo, ut hujus sacramenti cognitionem aliquam acceperint, et gustum habeant (8), ideoque ut jam incipiant aliqualem usum rationis habere (9). Quo vero aetatis anno eam judicii maturitatem, quae est opus, ut debita religione ac reverentia pueri Eucharistiam suscipiant, advenisse sit praesumendum, non potest certa regula constabiliri; cum alii tardius, alii citius perfectum rationis usum, rerumque spiritualium intelligentiam conse-

(1) Sap. VIII-16.
(2) Psalm. XXXIII-6.
(3) Hebr. IV-16.
(4) Isai. XII-3.
(5) Psalm. XXXV-10.
(6) Joan. IV-13.
(7) S. Thom. Comm. in IV sentent., distinct. 9, q. 1, a. 5.
(8) Catech. Rom. *De sacram. Euchar.*, n. 63.
(9) S. Thom. Summ. Theol. p. III, q. 80, a. 9, ad tert.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

quantur: id autem intra decimum et decimum quartum aetatis annum communiter evenit (1). Admissio puerorum ad primam communionem non spectat ad parochos, qua tales, licet optime sit, ut ab ipsis fiat. De hoc enim, ait Catechismus Romanus, "nemo melius poterit constituere, quam pater, et sacerdos, cui illi (pueri) confiteantur peccata„. Ubi alius non sit confessarius praeter parochum, caveat hic, ne propter in confessione e pueris audita, eis ad sacram mensam admissionem deneget: judicari etenim ab exteriori tantum potest, ad exterius peragendum.

Meminerint omnes, quibus est animarum cura demandata, ex prima communione, modo rite fiat, plurimum provenire, ut pueri voluntatem Dei facientes reportent promissiones (2), veniendo post Eum (3), qui est via (4); non declinando neque ad dexteram neque ad sinistram (5); atque in Eo per omnia crescendo (6), in charitate radicati et fundati (7).

Nihil ex sua parte parochi praetermittant, ut in tenellulis parvulorum cordibus vias Domini parent (8), eos religiose erudiendo et eorum peccata intra poenitentiae sacramentum frequenter audiendo. Magis autem magis curam adaugeant, ubi illos coelesti esca prima vice sunt refecturi; neque enim homini praeparatur habitatio, sed Deo (9).

Maxime quidem expedire judicamus, ut parvuli, jam non semel ad poenitentiae sacramentum admis-

---

(1) Benedict. XIV *De Synodo*, l. VII, c. XII, n. 2.
(2) Hebr. X-36.
(3) Matth. IV-19.
(4) Joan. XIV-16.
(5) Prov. IV-27.
(6) Ephes. IV-15.
(7) Ephes. III-17.
(8) Matth. III-3.
(9) I Paralip. XXIX-1.

si, spiritualibus, ante primam communionem, per paucos dies vacent exercitiis eorum captui accommodatis, generalique purgentur confessione. Ipsa autem communio omni, quo fieri possit, apparatu celebretur, postque eam publice in templo gratias Deo agant pueri, promissiones in baptismo emissas renovent, ac sacratissimo Cordi Jesu, necnon Dei Genitrici se devoveant.

## CAPUT XIII.

### De viatico.

Tenentur specialiter in articulo vel periculo mortis constituti sacram suscipere Eucharistiam; tunc enim temporis, in quo postrema imminet lucta cum hoste infernali, panis fortium est valde necessarius.

Prae oculis habeatur hoc in casu jejunium minime requiri. Concilium Constantiense (1) decrevit, "quod licet Christus post coenam instituerit, et discipulis administraverit hoc venerabile sacramentum, tamen hoc non obstante, sacrorum canonum auctoritas, et Ecclesiae approbata consuetudo servavit et servat, quod hujusmodi sacramentum nec post coenam conficiatur, nec sumatur a non jejunis, *nisi in casu infirmitatis*".

Pueri qui numquam antea communicaverunt, coelestem autem escam a vulgari discernere sciunt, viatico possunt et a parocho debent muniri. Haud enim leviter delinquere credimus cum Benedicto XIV (2), qui pueros etiam duodennes et perspicacis ingenii sinunt ex hac vita migrare sine viatico, hanc unam ob causam, quia scilicet numquam antea eucharisticum panem degustarunt.

---

(1) Sess. XIII.
(2) *De Syn. dioec.* l. VII, c. XII, n. 1.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

Constituimus insuper, ut si quis in periculo mortis viatico munitus, postea aliquot dies superstes, sacram Eucharistiam sibi conferri postulat, ejus desiderio parochus indulgeat, et iterum vel saepius, etiam eodem in morbi periculo, sanctissima communione eum reficiat, et quidem quamvis naturale jejunium servare nequeat.

Ne scandalum fidelibus praebeatur, et sacra mysteria sacrilega susceptione violentur, atque aegroti indigne Eucharistiam sumentes, si decidant, aeternae vitae detrimentum capiant, nullo pacto ad publicos peccatores, modo tales esse indubitate liqueat, sanctum viaticum deferri debet, "nisi sese prius sacra confessione purgaverint, et publicae offensioni prout de jure satisfecerint„. Si, quod Deus avertat, infirmi, ad quem cum Sanctissimo Sacramento advenerit, confessionem audiens indispositum videat sacerdos, et tamen Eucharistiam petentem, eidem administrari deberet; numquam enim nulloque in casu confessionis sigillum frangere licet.

De iis qui excedunt, statuebat Concilium Nicaenum I (1), antiqua et canonica lex nunc quoque servabitur, ut si quis vita excedat, ultimo et maxime necessario viatico ne privetur. In eo summopere se intentos exhibeant parochi, ut omnes fideles periculose decumbentes sacrum viaticum suscipiant, "cujus vigore confortati ex hujus miserae peregrinationis itinere ad coelestem patriam pervenire valeant„ (2).

Pro Deo et propter Deum animarum curatores rogamus, ut viaticum administrent, dum adhuc infirmus est mentis compos, et animadvertere valet quid suscipit: alioquin ea qua decet reverentia et cordis contritione Eucharistia non sumitur, et ansa

---

(1) Can. 13.
(2) Conc. Trid. sess. XIII, *De Euchar.* cap. VIII.

praebetur perniciosissimo errori, quo plurimi SS. Corporis Christi viaticum sinistre existimant, quasi certum mortis nuncium.

Infirmis, quibus probabile non urget mortis periculum, dummodo sint jejuni, communio denegari nequit; quin potius, omni contentione satagat parochus, ut ii qui graviter non aegrotant, sacram Eucharistiam sumant, praesertim in festis, et dummodo, quum bene se haberent, eam frequentassent.

Nihil tandem reliqui faciat parochus, ut quam honorificentissime, nisi necessitas urgeat, augustissimum omnium sacramentorum, ad aegrotos deferatur.

## CAPUT XIV.

### De communione paschali.

Studio pietatis refrigescente, ne plures ab eucharistico pane per multos annos abstinerent, Ecclesia maternis visceribus de fidelium bono sollicita solemniter statuit, ut omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit suscipiat ad minus in Paschate Eucharistiae sacramentum.

Quadragesima igitur ineunte populo fideli parochi praeceptum promulgent, poenasque a Concilio Lateranensi III (1) in transgressores sancitas.

Siquidem pastor bonus cognoscit oves suas (2), ante quadragesimam notet accurate parochus, qui intra ejus ditionis terminos obligatione communionis paschalis sunt devincti, eorumque nomina in libro diligenter conscribat. Quod si adverso casu contigerit, ut aliqui tempore paschali non communica-

(1) Can 21.
(2) Joan X-14.

verint, et posteaquam serio ac saepius admoniti fuerint, adhuc obtemperare recusent, parochus ad Episcopum deferat.

Praecepto communionis annuae non satisfit per sacrilegam Domini manducationem (1): ideoque qui indigne in tempore paschali sacram Eucharistiam horrendo et execrabili flagitio suscipere ausus fuerit, tenetur omnino communicare, quasi communionem omisserit.

Neque obligationi faciunt satis, qui aliena suscipiunt ecclesia communionem sine Ordinarii aut proprii parochi licentia, saltem praesumpta. Volumus tamen, ne in hac concedenda nimium difficiles se praebeant parochi.

Qui semel in anno, videlicet in paschate, communicare renutant, sepultura ecclesiastica sunt indigni. Nihilo vero secius eis non debet denegari, si ante mortem signa poenitentiae ediderint; et semper in casu dubii ad Ordinarium est recurrendum.

## CAPUT XV.

### De poenitentiae sacramento.

Omnes Christifideles tenentur quotannis vi praecepti ecclesiastici (2) peccata sua confiteri. Quoties praeterea vel mortis periculum imminet, vel aliquam rem tractare aggredimur, cujus tractatio homini peccatis contaminato non conveniat, veluti cum sacramenta administramus aut percipimus, toties confessio non est praetermittenda (3).

Saepe saepius, imprimis vero quadragesima ad-

---

(1) E prop. LV ab Innoc. XI damn. fer. V, die 2 Martii 1679.

(2) Conc. Later. IV.

(3) Catech. Rom. *De poenit. sacram.* n. 45.

ventante, solerti studio ac plano sermone a parochis sunt exponenda, quae ad rite poenitentiae sacramentum suscipiendum requiruntur.

In confessionibus excipiendis abstineant sacerdotes ab inutilibus et periculosis interrogationibus, neque scire velint complices peccati. Criminis reos e contra se faciunt confessarii, qui, sui officii immemores, confessionis integritati non consulunt; neve poenitentes monent, sed expleta peccatorum enumeratione, absolutionis formam illico proferunt.

Quatenus non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent (1), condoleant confessarii iis qui ignorant et errant (2); sese exhibeant ministros Illius, qui non vult mortem impii, sed ut convertatur a via sua (3), et cognoscit figmentum nostrum (4); atque in similitudinem boni samaritani, vinum et oleum (5) in poenitentium vulneribus infundant.

Si causa diligenter cognita (quodcumque enim judicaverit (6) in se ipsum redundabit), absolutio a sacerdote sit differenda, confesso persuadeat id esse necessarium, atque eum ad quamprimum redeundum invitet.

Parochos praesertim eorumque coadjutores enixe obtestamur et provocamus, illorum conscientiam onerantes, ut non vocati solum, sed alias etiam ultro, uti in festorum pervigiliis, tribunal poenitentiae ingrediantur; suisque fidelibus aliquoties, praecipue autem in quadragesima, confessarios extraordinarios parent.

Confessiones, regulariter loquendo, in ecclesia audiantur, in exedra seu sede loco patenti posita; ac

---

(1) Luc. V-31.
(2) Hebr. V-2.
(3) Ezech. XXXIII-11.
(4) Psal. CII-14.
(5) Luc. X-34.
(6) II Paralip. XIX-6.

per crates angustis foraminibus pertussas, quando mulieres confitentur.

"Extra articulum mortis sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant„ (1). Doctrinam de casibus reservatis, sicut et caetera quae ad hoc sacramentum recte administrandum spectant, adprime, juxta probatos et optimae notae auctores, omnes a confessionibus sacris sciant.

Meminerint praesertim ii, quibus est confessarii munus, jam tuto teneri non posse sententiam docentem ad Episcopum aut ad quemlibet sacerdotem approbatum devolvi absolutionem casuum et censurarum, etiam speciali modo reservatarum, quando poenitens versatur in impossibilitate personaliter adeundi Sanctam Sedem; ideoque recurrendum esse, saltem per litteras, ad Eminentissimum Cardinalem Majorem Poenitentiarium pro omnibus casibus Papae reservatis, nisi Episcopus habeat speciale indultum, praeterquam in articulo mortis, ad obtinendam absolvendi facultatem; atque in easdem reincidere censuras eum, qui in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio diferri nequit absque periculo gravis scandali vel infamiae, absolutus, saltem infra mensem, per epistolam et per medium confessarii non recurrit ad Sanctam Sedem (2).

Qui sanctae cruciatae bullam habent, a quibuscumque peccatis et censuris (haeresis crimine excepto et censura in quam incurrit confessarius, qui absolvere praesumat complicem suum in peccato turpi), semel singulis annis quibus eam sumant et semel in mortis articulo, non ab uno tantum peccato, sed ab omnibus et solis quae in actu confessionis

(1) Conc. Trid. sess. XIV, cap. VII.
(2) S. C. Rom. et Univ. Inquisit., feria IV, 30 Jun. 1886.

occurrunt, etiamsi sint diversae speciei, absolvi possunt a quolibet confessario per Ordinarium loci approbato: qui duplex summarium bullae accipit, bis absolvi potest. Quoad absolutionem in articulo mortis vi bullae concessam, animadvertendum nullam requiri formam specialem, eumque ita absolutum a peccatis Summo Pontifici reservatis, ab onere eximi comparendi coram superiore, si supervixerit.

## CAPUT XVI.

### De poenitentia seu satisfactione.

"Debent sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere; ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur„ (1).

Etiamsi differri debeat absolutio, potest poenitentia injungi ad relapsum praecavendum, atque ut minor postea imponatur. Quo melius servetur judicii ordo, expedit satisfactionem ante absolutionem imponi: si modo post hanc, aliud peccatum accusetur, aliqua addenda satisfactio. Minime injungantur magnae poenitentiae, quarum gravitate deterriti poenitentes a confitendo abstinerent: aliquando oportebit poenitentem interrogari, num possit satisfactionem impositam peragere.

Praeterea confessarii prae oculis habeant, ut satisfactio, quam imponunt, sit etiam "ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum„. Quoniam

(1) Conc. Trid. sess. XIV, cap. VIII.

contraria contrariis curantur, contrarias peccatis satisfactiones confessarii imponant. Nequaquam vero expedit, ut injungantur poenitentiae perpetuae, vel ad longum tempus duraturae; nec quae multis constant operibus; nec quae excitarent admirationem populi; nec quae, habita ratione status, conditionis, sexus atque aetatis poenitentium, nequirent adimpleri.

Ut confessionis sigillum non violetur, Rituale Romanum vetat, ne injungantur poenitentiae publicae pro peccatis occultis. Nolumus tandem cum SS. Carolo Borromaeo et Alphonso Maria de Ligorio, ut imponantur regulariter Missae celebrandae, vel saltim ut confessarius a se impositas accipiat, vel ut eleemosynas distribuendas acceptet: alioquin hujus sacramenti ministri facile de avaritia evaderent suspecti.

## CAPUT XVII.

### De casuum reservatione.

Nostra potestate casus reservandi utentes, atque Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium monitis obsequentes (1), peccatorum, quae infra recensentur, absolutionem in hac dioecesi Nobis reservamus, videlicet:

Perjurium in judicio cum gravi alterius detrimento commissum.

Blasphemia habitualis publice prolata.

Homicidium voluntarium, atque formalis et efficax ad id cooperatio.

Abortus procuratio, etiam effectu non sequuto.

Domus, sepis aut cataractae graviter noxia di-

(1) 26 Nov. 1802.

ruptio atque agrorum devastatio, sive incendio, sive quolibet alio modo, vindictae animo effectae.

Quoniam vero aliorum peccatorum, quae juxta praecedentes Constitutiones synodales hujus dioecesis erant Ordinario reservata (1), hic autem non recensentur, hujusmodi reservationem tollimus, atque multa alia etiam atrociora absque reservatione relinquimus, ut citius aut facilius a suo miserrimo statu peccatores exire possint, confessarios impense obsecramus, ut illorum gravitatem et malitiam poenitentibus cognoscere faciant, atque, ut ea specialiter detestentur, summopere studeant.

## CAPUT XVIII.

### De extremae unctionis sacramento.

Militia quum sit vita hominis super terram (2), in qua colluctatio nobis est adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus (3), adversarius noster diabolus, qui tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret (4), mortis periculo instante, sciens quod modicum tempus habet (5), longe acerrime pugnat, telaque omnia suae versutiae contra animam conjicit jam jamque morituri. Eapropter Pater misericordiarum, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra (6), extremae unctionis sacramento finem vitae ad ultimum agonem, velut firmissimo quodam praesidio, propter ni-

(1) Const. synod. lib. V, tit. VIII, const. VIII.
(2) Job VII-1.
(3) Ephes. VI-12.
(4) I Petr. V-8.
(5) Apocal. XII-12.
(6) II Cor. I-3 et 4.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

miam charitatem qua dilexit nos (1), munire dignatus est.

His modo hoc sacramentum conferri debet, qui mortis periculo aegrotant, quique peccare potuerunt, nisi vere et in propatulo sint impoenitentes, vel in eadem infirmitate, ubi novus morbus non superveniat, sacram jam susceperint unctionem. At enim reprobamus et omnino vetitam declaramus illorum agendi rationem, qui nonnisi in extremis constitutis coeleste hoc remedium ministrant. Hoc quippe plane adversum finem secundarium est ejusdem extremae unctionis, consequendi scilicet sanitatem corporis, ubi saluti animae expedierit: sacramentum enim hunc effectum per modum miraculi non producit. Gravissime igitur peccant, qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum jam, omnis salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat (2).

Excepto casu magnae distantiae ab ecclesia, parochi retinere nequeunt sanctum oleum infirmorum in domo sua (3). Extremam unctionem cum luminibus et solemnitate deferri non licet (4). Exceptis gravissimis casibus, non virgula seu penicillo est unctio facienda (5). Non stola tantum, sed superpelliceo etiam indutus, nisi necessitas urgeat, debet esse sacerdos in hoc sacramento administrando (6). Neque in casu necessitatis parochus ad validitatem sacramenti extremae unctionis uti potest oleo a se benedicto (7).

---

(1) Ephes II-4.
(2) Catech. Rom. p. II, c. VI, n. 9.
(3) S. R. C. 31 August. 1872.
(4) S. R. C. 16 Decemb. 1826.
(5) S. R. C. 9 Maj. 1837.
(6) S. R. C. 16 Decemb. 1826.
(7) S. C. Rom. et Univ. Inquisit. 14 Sept. 1842.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# CAPUT XIX.

## De sacramento ordinis.

Ut manus cito nemini imponant, Episcopis praecipit Apostolus (1). Praeterea non mediocrem ad creandos sacrorum ministros adhibendam esse diligentiam, Sancti Patres tradiderunt, et severe praeceperunt (2): nam sacerdotem Dei ex millibus seligendum esse comperitur (3). In hoc igitur sacramento vere dignis dispensando et omni circumspectione uti necesse habemus, et Nos metipsos erga id intendemus, Dei gratia opitulante.

Nihil quidem antiquius et potius habemus, quam ut eos modo ad sacros ordines promoveamus, quos Dominus elegit (4), qui nempe vocantur a Deo tamquam Aaron (5) et sunt de genere virorum illorum *per quos salus facta est in Israel* (6): idcirco impensissime conabimur investigare, quo affectu ac proposito accedant ordinandi; "num videlicet Dei causa tantum, an potius suae commoditatis gratia ad ordines capessendos aspirent„ (7).

Satius est promovendos ad sacros ordines et Ecclesiae gubernationem, diu multumque antea probare et explorare, quam de temere admissis postea pudere et poenitere (8). Eapropter constituimus ut sacris ordinibus initiandi, aliquid aetatis, minimum integrum annum, intra Seminarium exigant, ubi ambulent coram Deo (9) et eorum oculi semper sint

---

(1) I Timot. V-22.
(2) Conc. Narbonens. 1551, can. 3.
(3) Conc. Burdigal. 1624, cap. VI, n. 1.
(4) Joan XV-16.
(5) Heb. V-4.
(6) I Machab. V-62.
(7) Conc. Calonien. I, 1536, part. I, tit. XXI.
(8) Conc. Remens. 1564, stat. 8.
(9) Gen. XVII-1.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

ad Dominum (1), sese ad omnimoda pietatis studia exercenda, et aperta divinae vocationis signa prae se ferentes.

Quoniam Deus repellit eos, qui repellunt scientiam (2), scientiam custodient labia sacerdotis (3), sine qua "nec sacerdotium rite administrare, nec saluti, cum suae, tum populi, recte vacare quisquam potest„ (4). Quod quidem si nunquam non verum fuit, at in hodiernis quibus versamur angustiis, grassante nunc temporis non minime perniciosa omnium errorum lue, quum affatim est hominum, qui vitam vivunt religionis valde ignari, nec eo minus Ecclesiae dogmata quam possunt impetunt, usus est, ut candidati sacerdotes sapiant quae oportet sapere, quae nempe de jure praescribuntur.

Ordinandi scientia diligenti constare debet examinatione (5). Examinatores noverint sibi munus usque adeo grave committi, ut si negligenter aut male se ullo modo gesserint, Deo in primis culpae in eo munere admissae exactam rationem reddituri sint (6). Magnopere tamen gratulamur, quod "periti et idonei viri„ (7) Nobis ad examinandum adsciti optime munus sibi demandatum habent perspectum, idque ad unguem sint exequuturi.

Qui ordinis sacramentum sunt accepturi speciatim sint oportet *perfecti et integri in nullo deficientes* (8), imitatores Christi (9), sacerdotis in aeternum (10), qui est Filius perfectus (11). Ipsi litterarum scientiae praeferri debet vitae integri-

---

(1) Psal. XIV-15.
(2) Ose. IV-6.
(3) Malach. II-7.
(4) Conc. Burdigal. 1583, tit. XIV.
(5) Synod. dioeces. Augustens. 1548, stat. 5.
(6) Conc. Avenionen. tit. V.
(7) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. VII.
(8) Jac. I-4.
(9) I Cor. IV-6.
(10) Psal. CIX-4.
(11) Hebr. VII-28.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

tas et morum honestas in iis qui ad ecclesiasticos ordines sunt promovendi (1). Nec neminem ergo in posterum sacris initiari concedimus, quin a Seminarii Rectore obsignatas litteras afferat, quibus "de vitae suae disciplina ac moribus testatum fiat„ (2).

Non oportet sacros ordines furtive suscipere (3). Itaque plebis judicio ordinandos fuit comprobari solitum, hoc modo ut "plebs quoque de moribus testimonium praebeat„ (4). Constituimus et Nos, ut sacris initiandorum nomina uno festo intra Missam solennem, in parochiis originis, et domicilii, et in quibus jam puberes per aliquot menses coluerint, populo denuncientur.

Dominico, qui solennem ordinum collationem antecedat, die, habita conciuncula, parochi jejunium ea potissimum de causa ab Ecclesia interdictum esse populum doceant, ut rite ordinatio ministretur (5). Atque iidem fideles simul preces fundant, ut Dominus messis mittat operarios in messem suam (6), qui sint sal terrae et lux mundi (7) in aedificationem corporis Christi (8), quod est Ecclesia (9), atque idonei ministri novi testamenti (10) ordines suscepturi per decem dies continuos spiritualibus exercitiis vacent (11), vel certe per quatuor aut quinque, si de minoribus agitur ordinibus. Hocce tempore a ceteris alumnis eos omnino separatos esse volumus: atque in eodem obligationes quas contrahent illis sunt exponendae, simulque ordinum mys-

---

(1) Conc. Mexican., 1585, lib. I, tit. IV, decr. *De vita, fama et moribus ordinandorum.*
(2) Con. Aquense, 1585, tit. *Quae ad sacram. ordinis administrationem pertinent.*
(3) Conc. Turon. 1583, tit. X.
(4) Conc. Mogunt. 1549, cap. LXXXII.
(5) Conc. Tolos., 1590, par. II, cap. VII, n. 7.
(6) Luc. X-2.
(7) Matth. V-13 et 14.
(8) Ephes. IV-12.
(9) Coloss. I-24.
(10) II Cor. III-6.
(11) S. C. Episcop. et Regular. 9 Octob. 1682.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

terium et ratio explicanda, "ut inde ordinem suum revereri unusquisque discat, ejusque dignitatem omnes suspiciant„ (1).

Qui jam clericali militiae nomen dederunt satagant, ut per bona opera certam suam vocationem et electionem faciant (2), digne ambulantes vocatione qua vocati sunt (3). Singuli in suis ordinibus ministrare tenentur (4). Neque eum ad altiorem ordinem promovebimus, qui susceptum non exercuerit.

Primum omnium memores sint confessarii, quod "cum aliquis clericus recidivus, vel consuetudinarius in vitio carnis ad sacrum ordinem..... ascendere cupit, quamvis sincere sit conversus ad Dominum, et ideo possit statim absolvi, non tamen poterit sacrum ordinem suscipere, nisi aliquandiu operam det ad pravum habitum extirpandum. Et si ipse persistat ordinem statim suscipere, non censetur dispositus ad absolutionem, quia legem Ecclesiae violat in re gravi„ (5).

Parochos denique per viscera misericordiae Dei nostri obsecramus, ut in attestationibus vel secretis informationibus, omni posthabito humano respectu, apertam et nudam de vita et moribus candidatorum ad sacros ordines veritatem proferant.

## CAPUT XX.

### De matrimonii sacramento.

FECIT Deus Adam adjutorium simile sibi (6); masculum et feminam creavit eos, benedixitque illis, et

(1) Conc. Bituric. 1584, tit. XXIV, can 2.
(2) II Petr. I-10.
(3) Ephes. IV-1.
(4) Conc. Camerac., 1586, tit. X., cap. VI.
(5) S. Ligor. Op. Mor., lib. IV, *De sacram. in gen.*, tract. I, n. 64.
(6) Gen. II-18.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

ait: *Crescite et multiplicamini* (1), his verbis instituendo matrimonium, quod per Christum sacramentum magnum est (2).

Nihil intentatum relinquant parochi, ut fideles nonnisi nubant in Domino (3), honorabili connubio (4), non in immunditiam, sed in sanctificationem (5), non in passione desiderii (6), sed ad procreandos, enutriendos et educandos filios, qui sint gens sancta (7).

Minime sese ingerant animarum curatores, generatim loquendo, in matrimoniis negotiandis. Moneantur vero nupturientes, ut, pecuniae aut formae cupiditate non unice impulsi serio de re tanti momenti cogitent; ut familiarem cum altero sexu conversationem devitent; ac denique ne sine gravi causa contra justam parentum voluntatem matrimonium inire velint, eo vel magis quod de jure civili sine consensu vel consilio parentum filii contrahere prohibeantur.

Quoniam frequenter evenit, ut matrimonium praecedant sponsalia per verba de futuro, oblivioni non detur a parochis sponsalia quae in Hispania contrahuntur absque publica scriptura invalida esse, et publicam scripturam supplere non posse instrumentum in curia conflatum pro dispensatione super aliquo impedimento, ex quo inferri possit promissio serio facta contrahendi matrimonium (8).

Antequam nuptiae denuntientur, sponsos de doctrina christiana parochus examinet, eisque, quoad ejus facere potest, persuadeat, ut prius peccata con-

(1) Gen. I-27 et 28.
(2) Ephes. V-32.
(3) I Cor. VII-39.
(4) Hebr. XIII-4.
(5) I Thess. IV-7.
(6) I Thess. IV-5.
(7) I Petr. II-9.
(8) S. C. Concilii 31 Januar. 1880.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

fiteantur, quam benedictionem recipiant, atque ut postea intra Missam ad sacram communionem accedant.

Doceat tandem parochus Ecclesiam abhorrere a matrimoniis inter cognatos et affines, ideoque non oportere illa sine gravi causa inire; eam ob rem, ut id genus conjugia rariora fiant, taxam etiam impositam fuisse, quae nullimode habenda ut dispensationis pretium; impedimentaque matrimonii a contracturis omnino exponi debere: neque ipse oblivione obruat, quod Sanctissimus in Christo Pater Leo XIII, quem Deus sospitem conservet, ob gravissima rationum momenta, a pristino rigore hac super re declinando, pro summa sua benignitate decrevit (1) "dispensationes matrimoniales posthac concedendas, etiamsi copula incestuosa vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerint, validas futuras: contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus„.

Cum Sanctissimus Dominus noster Leo XIII Episcopis facultatem concesserit dispensandi "aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad Sanctam Sedem, super impedimentis quantumvis publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine, et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente„ (2); cumque postea (3) a Sancta Sede declaratum fuerit Ordinarios memoratam facultatem subdelegare posse "pro casibus, in quibus desit tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi et periculum sit in mora„, eam pro iisdem casibus subdelegamus parochis, oeconomis et

---

(1) S. C. R. et U. Inquisit. 25 Junii 1885.
(2) S. C. R. et U. Inquisit. 20 Febr. 1888.
(3) 1 Martii 1889.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

vicariis *in capite*. Ibi autem quis supradicta facultate usus fuerit, id Nobis notum faciat.

Memorentur insuper curam animarum habentes "benedictionem nuptialem, quam exhibet Missale Romanum in *Missa pro sponso et sponsa*, semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen Missae celebrationem, juxta rubricas, et extra tempus feriatum, omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo matrimonio, quacumque ex causa non obtinuerint: etiamsi petant post quam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit. Insuper hortandos esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant„ (1).

Benedictio annuli numquam omittatur; ad id omnibus praecipimus parochis, ut unum annulum semper secum teneant, qui sponsis eo deficientibus pro tali benedictione rite explenda tradatur (2). Ritus veli albi explicandi super sponsos non adnumerandus est inter laudabiles consuetudines a Tridentino approbatas, sed potius censetur prohibitus sub nomine pallii (3).

Prohibitio nuptiarum tempore adventus et quadragesimae intelligi tantum debet de Missa *pro sponsis*, ac de precibus pro nubentium benedictione in Missali positis (4).

---

(1) S. C. R. et U. Inquisit., fer IV, die 31 August. 1881.
(2) S. R. C. 4 Maj. 1882.
(3) S. R. C. 2 Sept. 1850.
(4) S. R. C. 14 August. 1858.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

## CAPUT XXI.

### De publicis matrimonii denuntiationibus.

SPECIALEM quorumdam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando, Concilium Lateranense generale IV sub Innocentio III celebratum statuit (1), ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per presbyteros publice proponantur, competenti termino praefinito, ut infra illum qui voluerit et valuerit, legitimum impedimentum apponat. Hujus decreti vestigiis inhaerendo sacrosanta Tridentina Synodus praecepit (2) "ut antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus diebus festivis in ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntientur, inter quos matrimonium sit contrahendum„.

In ejusmodi denuntiationibus omittatur quidquid contrahentibus sit injuriae: exprimi autem debent eorum nomina et cognomenta, parentes, conditio, domicilium, et utrum sit prima, an secunda, num tertia admonitio. Hae legendae sunt in parochiis, ubi contrahentes habeant domicilium, aut quasi domicilium; atque in loco originis, nisi eum a longo jam tempore dereliquissent; necnon in illis ubi antea fuerint municipes, modo prudenter vereri possit ibi contractum fuisse impedimentum, habita ratione aetatis sponsorum, nisi per quinque jam annorum spatium ab illis discesserint. Edicta ecclesiastica nuptiarum causa legi possunt omni tempore absque exceptione, in festis de praecepto: fieri autem non licet diebus festivis abrogatis, nisi de li-

---

(1) Can. 51.
(2) Sess. XXIV *De reform.* matrim., cap. I.

centia Episcopi (1). Quando proclamationes in duabus paroeciis sint faciendae, eo quod sponsi ad diversas pertineant, matrimonium celebrari nequit sine attestatione alterius parochi, ex qua constet, bannis matrimonialibus lectis, nullum inde impedimentum detectum fuisse.

Si alter vel uterque ex contrahentibus sit viduus, non licet parocho eos conjungere absque legitima attestatione de prioris conjugis morte. De hominibus vagantibus et incertas sedes habentibus, Tridentina Synodus (2) parochis praecepit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. Quae constitutio ut "servetur a parochis vel diligentissime„ mandat S. Carolus Borromaeus (3). Cui Synodus provincialis secunda Meclinensis (4) album calculum adjiciens, vult etiam, ut licentia *in scriptis* obtineatur. Praecipimus et Nos, ut si ambo vel alteruter ex nupturientibus sint peregrini, vagi, vel alienae dioecesis, a qua post pubertatem abierint, istorum nuptiis nulla prorsus ratione parochus assistat, nisi a curia episcopali facultatem obtinuerit matrimonium celebrandi.

Parochi facili et prudenti sermone populo impedimenta exponant, obligationemque gravem, in qua sunt fideles, regulariter loquendo, aperiendi impedimenta quae noverint, etiam secreta, et dubia, et quae probari nequeunt. Neque hoc satis habeant pastores, sed ipsi, quanta maxime fieri possit sollertia, investigent, prout de jure (5), utrum aliquod impedimentum obsistat.

---

(1) S. C. Concilii 5 Jul. 1680.
(2) Sess. XXIV *De reform.* matrim., cap. VII.
(3) Conc. prov. Mediol. II, decret. 26.
(4) Tit. II, cap. V.
(5) Cap. III, tit. III, lib. IV Decret.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

Extra casum in quo alteruter contrahentium in articulo mortis sit constitutus, et, matrimonii celebrandi necessitate urgente, tempus non adsit rem ad Ordinarium deferendi, parochus ne unam quidem ex proclamationibus remittere potest.

Si aliquod impedimentum detectum fuerit, et parochus contrahentes a matrimonio dehortari nequeat, eos admoneat quae fieri debent ad dispensationem obtinendam. In hujus petitione nihil falsi efferatur uti verum; ea vero necessaria exprimenda, prout causa impetrandi dispensationem, numerus, gradus et species infima impedimentorum, nullatenus taceantur.

Bannis proclamatis, nulloque cognito impedimento, matrimonium quantocius celebretur, non autem ipso ultimae admonitionis die. Quod si infra duos menses post denuntiationes factas matrimonium contractum non fuerit, ni venia Ordinarii obtineatur, operae pretium est, ut denuo fiant.

## CAPUT XXII.

### De divortiis

MATRIMONII perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit (1), cum dixit (2): *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Ejusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronuntiatam, his verbis confirmavit Christus (3): *Quod ergo Deus conjunxit homo*

(1) Conc. Trid. sess. XXIV, in principio.
(2) Gen. II-23 et 24.
(3) Matth. XIX-6.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

*non separet.* Solvere itaque vinculum conjugii inter christianos rati et consummati, ut docet sapientissimus Leo Papa XIII felicissime regnans (1), nullius est in potestate.

Debet homo adhaerere uxori suae (2): quae sub viro est mulier, alligata est legi (3); praecipitque Dominus uxorem a viro non discedere (4), virumque uxorem non dimittere (5); omnis ergo qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur (6), et adulterium committit (7), facitque eam moechari (8). Conjuges praeterea necesse habent cohabitare, et id quidem e titulo justitiae: mulier namque sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier (9).

Attamen ob multas causas separatio inter conjuges quoad torum, seu cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri potest (10). Haec separatio, quae divortium audit, auctoritate Episcopi, regulariter loquendo, fieri debet; ideo S. Thomas docet (11) "quod divortium non potest celebrari, nisi judicio Ecclesiae„.

Ad hallucinationes hac super re vitandas, curet parochus ne divortia propria auctoritate fideles ineant, eosque qui ab invicem proprio judicio manent separati, ut ad vitam conjugalem revertantur, vel saltem rem ad Judicem ecclesiasticum deferant, solerter atque impense elaboret.

---

(1) Const. *Arcanum.*
(2) Matth. XIX-5.
(3) Rom. VII-3.
(4) I Cor. VII-10.
(5) I Cor. VII-11 et 12.
(6) Luc. XVI-18.
(7) Marc. X-11.
(8) Matth. V-32.
(9) I Cor. VII-4.
(10) Conc. Trid. sess. XXIV, can. 8
(11) Suppl. q. 62, a. 3.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# CAPUT XXIII.

## De matrimonio civili dicto.

"Ecclesia non ignorat neque diffitetur sacramentum matrimonii, cum ad conservationem quoque et incrementum societatis humanae dirigatur, cognationem et necessitudinem habere cum rebus ipsis humanis, quae matrimonium quidem consequuntur, sed in genere civili versantur; de quibus rebus jure decernunt et cognoscunt, qui rei publicae praesunt„ (1).

Nihil vero possunt principes saeculares circa ea quae sunt intrinseca nexui ipsi matrimonii; inter christianos etenim contractus conjugii inseparabilis est a sacramento; in iis autem quae ad sacramenta eorumque attinent dispensationem, nullum omnino jus potestati civili inest. Sola itaque Ecclesia potest impedimenta constituere, quae matrimonii vinculum afficiant, ad eamque solam causae omnes matrimoniales spectant.

Sancta Tridentina Synodus (2) ad contrahendum omnino inhabiles reddidit eos, qui aliter quam praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt. Conjungendi sunt nupturientes in paroecia ubi domicilium aut quasi domicilium habeant; servandam etiam volumus consuetudinem, ut parochus, cui sponsa subest, matrimonium celebret: ad tollendam autem clandestinitatem sufficit parochus sive viri sive mulieris.

Irriti omnino ac nulli sunt contractus matrimo-

---

(1) Leo XIII, constit. *Arcan.*

(2) Sess. XXIV *De reform.*, cap. I.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

niales celebrati coram judice civili absque assistentia parochi, et, prout ven. mem. Pius IX definivit (1), quaelibet alia inter christianos viri et mulieris, praeter sacramentum, conjunctio, cujuscumque etiam civilis legis vi facta, nihil aliud est nisi turpis atque exitialis concubinatus ab Ecclesia tantopere damnatus. Fideles ergo detestabili consortione, quae improprie matrimonium civile dicitur, conjuncti, uti concubinarii publici sunt habendi, quos ut abducant ab hoc miserrimo statu nullum non moveant lapidem pastores.

Memorentur ii etiam matrimonium civile, in loco ubi promulgatum est decretum Concilii Tridentini (sess. XXIV de reform. matrim.) sive fideles actum ipsum explentes intendant, uti par est (matrimonio ecclesiastico jam rite celebrato, vel cum animo illud quantocius celebrandi), meram caeremoniam civilem peragere, sive intendant sponsalia de futuro inire; sive tandem ex ignorantia, aut in spretum ecclesiasticarum legum, intendant matrimonium de praesenti contrahere, impedimentum justitiae publicae honestatis non producere (2). Quod si consummatum fuerit, ex eo impedimentum affinitatis usque ad secundum tantum gradum provenit.

Si vero, quod valde timendum ac Deus avertat, a gubernio execranda lex matrimonii civilis nuncupata contra jura Ecclesiae catholicae moliatur, ob oculos tunc haberi debet instructio (3) ex mandato Pii IX a Sacra Poenitentiaria publici juris facta, quae inter alia edocet: "Quamvis autem pro matrimonii valore minime opus sit, ut a civili potestate ratum habeatur, aut confirmetur; attamen ad vexationes poenasque vitandas, et ob prolis bonum, quae

(1) Allocut. 27 April. 1852.
(2) Leo XIII, decret. 17 Mart. 1879.
(3) 15 Januar. 1866.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

alioquin a laica potestate ut legitima nequaquam haberetur; tum etiam ad polygamiae periculum avertendum; opportunum et expediens videtur, ut iidem fideles, postquam matrimonium legitime contraxerunt coram Ecclesia, se sistant actum lege decretum exequuturi; ea tamen intentione sistendo se gubernii officiali nihil aliud faciant, quam ut civilem caeremoniam exequantur„.

In praesentiarum ab hispano gubernio aliud matrimonium praeter canonicum inter catholicos non admittitur, quod quidem effectus civiles etiam producit. Eidem assistit judex municipalis, hoc tamen solo fine, ut cito ac melius quae ad illud pertinent, in libro seu codice civile adnotentur.

## CAPUT XXIV.

### De sacramentalibus.

Hoc insigniuntur nomine caeremoniae ecclesiasticae, seu actus externi religionis ad colendum Deum accommodati, vel aliquam sacramentorum similitudinem exhibentes, vel in eorum administratione adhibiti. Sacramentalium classes sequenti exprimuntur versiculo: "Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens„.

Ex opere operantis, quod ajunt, istiusmodi res et actiones ab Ecclesia institutae pios motus excitant per gratias praevenientes, daemonem reprimunt, beneficia corporalia similiave obtinent, poenam temporalem peccatis debitam remittunt, atque, prout docet Divus Thomas (1), "in quantum sunt cum aliquo motu reverentiae in Deum et ad res di-

(1) Summ. Theol. p. III, q. 87, a. 3.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

vinas,.... operantur ad remissionem venialium peccatorum„.

Omnem igitur diligentiam in id conferant pastores, ut summa fideles veneratione sacramentalia prosequantur, atque imprimis ut saepissime crucis se muniant signo, quo merita Christi crucifixi invocantur, religio christiana profitetur, atque ipsa crux honore afficitur.

Omnibus in dominicis, ante parochialem aut conventualem Missam, aqua benedicatur, atque populi fiat aspersio: in fontibus etiam prope Ecclesiae fores haberi debet, ac frequenter renovari. Moneantur denique omnes, ut aquam benedictam suae domi servent, atque in ingressu Ecclesiae, de peccatis dolentes, digitis in pila intinctis, crucis signum super se reverenter faciant.

Caveant quam maxime ii qui benedicunt, ut superstitionem alant, vel supra modum virtutem sacramentalium extollant, vel eorum turpiter mercaturam faciant, vel formulis utantur, quae in Rituali non habentur, aut a Sacra Rituum Congregatione non sunt approbatae.

Nec facile credere debent parochi a diabolo aliquem esse possessum vel obsessum: praeterea energumenos solemniter adjurare nonnisi de Episcopi licentia permittitur. Quod si haec concessa fuerit, ea qua par est gravitate utatur clericus in exorcismis faciendis, semper secum habendo, quum mulierem exorcicet, honestas personas patienti, quoad fieri possit, propinquas.

Incumbant animarum rectores, ut fidelibus, verbis quoad poterint clarissimis, maximum spiritualem quaestum, qui ex orationis dominicae, *Confiteor* aliarumque precum frequenti recitatione provenit, explicent.

Inter sacramentalia eleemosyna annumeratur, cui et caetera misericordiae opera nomine *dans* ad-

junguntur. Quae quanti sint, ob omnium oculos versatur. Quod enim erga esurientes, et sitientes, et hospites, et nudos, et infirmos, et in carcere conjectos fit, hoc ipsi fit Christo (1): et judicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam (2). Divites ergo a parochis hortentur, ne avertant faciem suam ab egeno (3): quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam aeternam (4).

## CAPUT XXV.

### De indulgentiis.

"Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Tridentina Synodus (5) indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate pro batum, in Ecclesia retinendum esse docet et praecipit„.

Siquidem indulgentiae per applicationem satisfactionum Christi et Sanctorum ab Ecclesia factam remittunt poenam temporalem pro peccatis quoad culpam jam condonatis debitam, fideles pro viribus suis adhortentur parochi ad indulgentias lucrandas, eisque patefaciant conditiones, sine quibus illae obtineri nequeunt.

Ut ne populus decipiatur ab iis qui turpis lucri cupidi res venditant, quibus gratias adnexas proca-

(1) Matth. XXV-35 et seqq.
(2) Jac. II-13.
(3) Eccli. IV-4.
(4) Tob. XII-9.
(5) Sess. XXV, decret. de indulg.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

citer dictitant, parochi erit fideles admonere indulgentias amitti simul atque devotionis objecta veneunt, eo quod Ecclesia ad abusus devitandos tantum illas concedere intendit personae pro qua res benedicitur, vel primo qui ea utitur. Memores insuper sint omnes sacerdotes, quod res indulgentiis ditatae tradi debent fidelibus omnino gratis; ita ut si aliquid quocumque titulo sive pretii, sive permutationis, sive muneris, sive eleemosynae requiratur vel accipiatur, indulgentiae ex hoc amittuntur (1).

Praesertim a parochis et concionatoribus accurate erunt explicanda specialissima privilegia atque uberrimae gratiae, quae in sanctae cruciatae bulla continentur, populum admonendo, ne sic insignia dona parvifacere audeat.

---

(1) S. C. Indulg. 16 Jul. 1887.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# TITULUS III.

## DE CULTU.

---

## CAPUT I.

### De debito cultu Deo tribuendo.

Quamplurimis justissimisque titulis obstringimur ad Deum rite colendum. Ipse enim infinitudinem potentiae suae exercens atque infinito aeternoque amore nos diligendo, ait namque per Jerem.: *in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans* (1); ex abysso nihili in gloriam suam nos eduxit: *in gloriam meam creavi eum* (2). Ipse nos redemit, salvosque fecit *non ex operibus justitiae, quae fecimus...., sed secundum suam misericordiam* (3), *ut essemus sancti* (4), Eum scilicet adorando, seu rite colendo. Ad hoc etiam per baptismalia vota sumus constricti.

Ipse praeterea est ens supremum, infinitae perfectionis, omni laude et honore dignissimum: *magnus Dominus et laudabilis nimis* (5). *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem; quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt* (6). Qui plenissimum et absolutum dominium super nos habens, nihil est quod tantum a nobis exi-

(1) Jerem. XXXI-3.
(2) Isai. XLIII-7.
(3) Ad Tit. III-5.
(4) Ad Ephes. I-4.
(5) Ps. XCV-4.
(6) Apoc. IV-11.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

gat, nihil quod tantopere praecipiat, ac ejus cultum seu adorationem. *Dominum Deum tuum timebis, et ei soli servies* (1). *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est, et illi famulaberis soli* (2).

Nos ergo, qui tot tantisque titulis ad Deum pertinemus, suam infinitam excellentiam testificari debemus, et propter illam verum cultum Ei exhibere, non tantum internum, qui pectoris ambitu contineatur, sed etiam externo, qui foras erumpat; quoniam, cum anima et corpore a Deo ditati existamus, iis certe donis infinitam Dei majestatem, cultu nempe interno et externo colere debemus; atque etiam publico, in Ecclesia enim catholica, quae est perfecta eaque visibilis societas, constituti, Deo debemus horem, aliis exemplum.

At vero, quia hujusmodi cultus tres complectitur actus, primum, scilicet intellectus, quo divinam excellentiam apprehendimus; secundum, voluntatis, quo eamdem excellentiam protestamur, et propter illam, nostram erga Deum submissionem; tertium denique, per actum corporis externum, ut capitis inclinationem, genuflexionem, etc.; hinc necesse est ut parochi, omnesque animarum curam gerentes qua maxima diligentia studeant: ut ab omnibus suis utriusque sexus fidelibus magis ac magis Deus cognoscatur, et hoc ex toto corde desiderent, hoc cum D. Augustino petant "noverim te,,, Domine; cultus enim existimationem importat illius, qui colitur, existimatio vero a cognitione habetur. Hortentur etiam fideles, uti ab omni lethali peccato liberi, divinae voluntati sese humiliter ac incessanter subjiciant, nihil aliud optando, quam ut adimpleatur quod in oratione dominica quotidie petimus: *fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra;* neque erubescant in actibus cultus

(1) Deut. VI-13—Math. IV-10.
(2) Ibid. VI-4.

reverenter faciendis, Dominus enim ait: *qui..... erubuerit..... meos sermones: hunc Filius hominis erubescet.....* (1).

Hoc tandem prae oculis habeant Divi Augustini: "Desideras breviter aperiri atque in sermonem brevem colligi quonam modo colendus sit Deus? Respondeo fide, spe, et charitate colendum„ (2).

Et recte quidem, ex eo quod latria qua colimus Deum, ut sentit Doctor laudatus, est virtus generalis ex tribus theologicis virtutibus conflata, atque per actus earumdem virtutum debitus cultus Deo tribuitur. Summum honorem Deo deferimus, cum per fidem protestamur eum esse primam veritatem; per spem, esse omnipotentem, et per charitatem summum bonum in omnibus et super omnia diligendum. Quare invigilabunt pro hujusmodi actibus ab omnibus frequenter ac perfecte faciendis.

## CAPUT II.

### Ubi praecipue Deus sit colendus.

Etiamsi Deus sit ubique colendus, ubique enim est praesens, ejusque immensitas nec coelo nec terra capitur, praecipue tamen est colendus in ecclesiis quae sunt loca habitationis Ejus, domus Dei et portae coeli; ubi nobiscum sacramentaliter adest, misericordiam suam super nos multiplicando, cum aurem suae pietatis precibus nostris accommodet, coelestis gratiae divitias nobis magna cum liberalitate elargiendo, quinimmo semetipsum in cibum et potum mirabiliter dando.

Quanta autem decentia et munditia hae domus,

(1) Luc. IX-26.
(2) In Enchir., cap. II.

omniaque ad eas pertinentia splendere debeant, nemo non videt. Unde Psalmista ait: *domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum* (1).

Quare ut vere dicere possimus: *dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae* (2); pro domus Dei nitore et cultu, sequentia volumus magna cum diligentia servata.

I. Quoniam in his luctuosis temporibus multa perpetrantur furta et, quod maxime dolendum, non raro sine sacrilega profanatione sanctissimi Eucharistiae sacramenti, praecipimus, ut ecclesiae januae valvis, clavibus, fortissimaque sera sint munitae, necnòn fenestrae clathris et retibus ferreis, cancellisque vitreis sint protectae, atque claves securo loco custodiantur.

II. Ecclesia parietes tam interiores quam exteriores non sint erosi, non illuvie et squalore deformes; sed quantum fieri possit mundi ac perpoliti; pavimentum saltem octavo quoque die bene everratur; ne quid vestigii aranearum telae in tectis aut quolibet alio ecclesiae loco inveniatur; demum semel in anno inspectio fiat ad reponendas tegulas.

III. Altaria, eorumque arae, sacrae, icones, candelabra, lampades caeteraque hujusmodi, non pulvere, oleo aut cera sint foedata, ne dici possit mensa Domini despecta est; sed qua maxima munditie et decore nitida et munda.

IV. Tabernaculum seu sacrarium, quó sanctissimum Eucharistiae sacramentum servatur, clavi convenientique sera sit munitum, atque ita perfectum ut ne quid insecti aut aliud introiri possit; sit intus rite deauratum.

V. Volumus, ut, omni diligentia adhibita, paramenta quae ad sacra peragenda et in sacramentis

---

(1) Ps. XCII-7.
(2) Ps. XXV-8.

administrandis utuntur, praesertim corporalia, quae SS. Eucharistiam immediate tangunt, quam mundissima semper sint et appareant; cum summopere dedeceat, sacrilegiique instar habendum sit sacrosanctum Christi corpus et sanguinem linteaminibus et vasis tangi, quae in domibus privatis, et in usibus profanis non toleranda viderentur.

VI. Vestes sacrae, quamvis ob paupertatem non sint pretiosae, non nimio usu sint tritae, vel scissae, sed integrae nitidaeque, ut summa illa divinitas officii, in quo sacerdos induitur, exposcit.

VII. Parochi animarumque rectores sedulo invigilent ne quis fidelium, superstitione deceptus, sub praetextu corporis sanitatis seu alicujus morbi curandi, sacram altaris aram frangere audeat, aut ne ullam quidem ejus partem ut ut minimam auferat.

VIII. Cum sanctitas mysteriorum quae peraguntur magnam requirat sanctitatem non solum in ministris, sed etiam in ecclesia ubi fiunt; cumque haec aliquando polluta aut exsecrata esse possit, interdicimus quominus in tali ecclesia divina celebrentur, donec sacris ritibus reconciliata sit.

## CAPUT III.

### De praecipuo cultus actu.

Actus praecipuus, quo in sancta Ecclesia catholica Deum colimus, est Ssmum. Eucharistiae sacrificium, illud maximum bonum quod Jesu Christi passio mundo attulit, sine diminutione adhuc qualibet Missa, quae celebratur, adhibente. Ait enim Angelicus Doctor: "quidquid est effectus dominicae passionis, est effectus hujus sacrificii„ (1). Quod sancta mater

(1) In Ephes., cap. VI.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

Ecclesia etiam nos docet: "Quoties hujus hostiae commemoratio recolitur, toties opus nostrae redemptionis exercetur„ (1). "Una, enim, eademque est hostia„— ait C. Tridentinum—"idem nunc offerens sacerdotis ministerio, qui seipsum in cruce obtulit, sola ratione offerendi diversa„ (2). Actio longe excellentissima, omnium divinorum divinissima, Deoque gratissima; unde jure merito inquit S. Laurentius Justinianus: "Missae sacrae oblatione nulla major, nulla utilior, nulla divinae majestatis oculis gratior, quae Deo honorem, Angelis contubernium, exulibus coelum, religioni cultum, justitiae debitum, normam sanctitati, obedientiam legi, gentibus fidem, laetitiam mundo, credentibus gaudium, unitatem populis, sacramentis legalibus finem, initium gratiae, virtuti robur, hominibus pacem, lucem mentibus, spem laborantibus et praevenientibus tribuit speciem„. Nihil gravius quam ipsi Deo per genuflexiones se submittere, et per hoc signum latriae cultum exhibere. Nihil sublimius quam hostiam et calicem in quibus Deus ipse latet crucis signo benedicere. Nihil excellentius, quam Deo, nomine totius Ecclesiae, vota et orationes offerre. Nihil denique mirabilius quam hostiam, cui praesens adest Filius Dei aeternus et immensus manibus tangere et frangere, et huc atque illuc movere, et sumere. Jam vero in veteri lege magnopere dispositos volebat Deus sacerdotes, ut digne offerrent sacrificium hujus augustissimi sacrificii praefigurativum; hinc Malachia legitur: *et sedebit conflans, et emundans argentum; et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum; et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia* (3). Et in Levitico: *Sancti erunt Deo suo et non polluent nomen*

---

(1) Orat. Dom. IX post Pent.
(2) Sess. XXII, c. 2.
(3) Malach. III-3.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

*ejus: incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt: et ideo sancti erunt* (1). Sed majore sanctitate splendere debent novae legis sacerdotes ut digne offerant tremendum Missae sacrificium. "Quo solari radio„—inquit Chrisostomus—"non splendidiorem oportet esse manum, carnem hanc dividentem, os quod igne spirituali repletur, lingua quae tremendo nimis sanguine rubescit„ (2).

Quamobrem ad tantum opus rite peragendum satis apparet, juxta laudatum C. Tridentinum (3), omnem operam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.

Hinc sequentia monemus ac in Domino hortamur:

I. Quoniam ea vivimus tempora, quibus non raro ex heterogeneis substantiis adulteratur triticum et vinum, parochi animarumque rectores curent eam adhibendam diligentiam ut per semetipsos certi sint de vera et pura Eucharistiae materia. Hostiae et particulae sint recenter confectae, mundissimae, atque ita praeparatae, ut ne quid fragmenti ab ipsis facile dilabatur, decenti, siccoque loco serventur.

II. Cum perhorrendum sit sacerdotem Missam in lethali peccato celebrare "majus enim peccatum est„—ait Sanctus Vincentius Ferrer—"quam si projiceret corpus Christi in cloaçam„, et "multo demonio pejor„, ut asserit Chrisostomus, qui peccati conscius accedit ad altare; ne quis reus sit corporis et sanguinis Domini, ne judicium sibi manducet et bibat, non dijudicans corpus Domini, illud Apostoli adimpleatur *probet autem seipsum homo.* Conscientiae

---

(1) Levit. XXI-6.
(2) Homil. VI ad pop.
(3) Sess. XXII, *De observandis et evitand. in celebrat. Missae.*

sinus et latebras exploret, atque peccata sua confiteatur, quasi post confessionem moriturus.

III. Verum enimvero cum sacrum peracturi non solum a lethali peccato, quin etiam, quantum in se est, a venialibus immunes esse debeant, atque profundissima humilitate, fide, spe, et charitate, caeterisque virtutibus ornatos esse oporteat; ante Missae celebrationem per dimidiam horam, vel ad minimum per quadrantem, orationi mentali vacent, tum sacram Jesu Christi passionem devote meditando, qui se ad renovandum crucis sacrificium accingunt, tum operis magnitudinem peragendi pie considerando, tum denique fervidas preces, prout in Missale habentur, ab imo corde ad Jesum effundendo.

IV. Haec duo quam diligentissime evitentur in Missae celebratione: irreverentiam erga sacrificium et scandalum erga populum. Irreverentiam eamque gravem committunt, qui ita praecipitanter incedunt et ad altare se gerunt velut si rem mundanam agerent; qui ita festinanter se genuflectunt, ut actum derisionis potius quam adorationis exercere videantur; qui sine praeparatione, sine sensu sacrum incipiunt, et verba mutilando cursim absolvunt; qui festinanter et incomposite sacras vestes deponunt statimque et sine recollectione ad fabulas, risus, ludos, vel negotia mundana se convertunt. ¡Quibus terribillimum Dei judicium imminet! ex eo quod praeter gravissimam irreverentiam in divinissima mysteria illatam, augustissimum hoc Ecclesiae mysterium humana et angelica adoratione perdignum impiorum risui et contemptui exponunt fideles graviter scandalizando. Etenim, docente S. Tridentina Synodo "Ecclesia caeremonias adhibuit, ut majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem

excitarentur„ (1). Ad hujusmodi sacerdotes spectant haec Sacrae Scripturae verba: *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata ejus et caeremonias, quas ego praecipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istae et apprehendent te* (2). Et haec: *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter* (3). Quapropter, cum laudatum C. Tridentinum hoc statuisset: "decernit sancta Synodus, ut Ordinarii locorum ea omnia prohibere curent ac teneantur quae irreverentiam inducunt„, cumque Benedictus XIV doceat minimam temporis mensuram juxta unanimem Doctorum consensum ad Missam celebrandam esse tertiam horae partem; praecipimus ut in nostra dioecesi nullus sacerdos infra hoc brevissimum tempus Missam expedire audeat: tamen etiamsi laudabile sit devotionis causa Missam supra mediam horam protrahi, hoc autem fieri non oportebit ob taedium, quo adstantes afficerentur, vitandum. Praecipimus etiam caeremoniarum magistro, archipresbyteris, animarumque rectoribus, eorum conscientiam super hoc graviter onerando, ut si in qua ecclesia aut oratorio, publico vel privato, nostrae dioeceseos aliquis sacerdos cum rubricarum negligentia Missa cursim et festinanter persolvat, eum paterna charitate moneant, quod si monitus in eumdem defectum recidat, ad Nos eum denuntient, ut statim suspendatur aut aliae poenae eidem, si ita oportuerit, infligantur.

V. Cum sancta sancte sint tractanda, apprime rectissime curent presbyteri Missam attente, devote ac reverenter celebrare, omnia verba distincte proferre, ea quae sunt canonis legendo, omnes caeremonias ac rubricas praescriptas adamussim servan-

---

(1) Sess. XXII, cap. V.
(2) Deut. XXVIII-15.
(3) Jerem. XLVIII-10.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

do, omnes enim quae intra Missam exercentur praeceptivae sunt. Meminerint quod Concilia ritus, seu caeremonias sacras, imagines fidei, incitamenta pietatis, signacula religionis vocaverint; quod a natura sit institutum, ut per sensibilia signa ad sublimiora percipienda mysteria elevemur; quod ritus sacri et caeremoniae, docente Angelico Doctore, ab Ecclesia instituta sunt ad fidelium instructionem, necnon ad excitandam illorum ad res sacras venerationem; in memoriam revocent illud Divae Theresiae: "Ego pro una Ecclesiae caeremonia vitam profunderem.„

VI. Sicuti ad Missam rite celebrandam est necessaria debita praeparatio, ita fervida gratiarum actio, illa peracta. Presbyteri igitur Missa finita, vestibus sacris depositis, in locum quietum se recipiant ut ibi Deo pro tanto beneficio gratias agant; longe absurdum est enim post tam eximium donum acceptum oblivisci, nullas aut tepidas gratias referre, et tanto hospite solitario et insalutato relicto, statim ad negotia externa transire.

VII. Parochi animarumque rectores accuratim doceant Missae excellentiam, utilitatem, effectus et fructus saluberrimos tam pro vivis quam pro defunctis, ut, interdum Missam audiunt, sciant adstare illi eidem sacrificio, quod Christus in ara crucis obtulit Patri; illi Domino ad cujus praesentiam, imo et ad cujus nominis invocationem, coelestia, terrestria et infera genuflectunt; adstare inter coelestes spiritus, qui ad laudandum et honorandum Dominum cum ingenti exultatione descendunt. Sciant per manus sacerdotis se Deo sacrificium offerre, sacerdote in offertorio dicente: "Offerimus tibi„, et in canone: "vel qui tibi offerunt„. Illos hortentur ad Missam devotissime audiendam non solum diebus festis, prout sunt obligati, sed etiam, quantum in illis sit, omnibus diebus.

## CAPUT IV.

### De cultu et expositione Ssmi. Sacramenti.

In omnibus sacramentis vere memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, in Eucharistiae vero augustissimo mysterio divitias divini sui erga homines amoris ita effudit, ut, cum sit omnipotens plus dare non possit, cum sit infinite sapiens plus dare nesciat, cum sit ditissimus plus dare non habeat.

Ut igitur populus christianus, qui tantae dilectionis est objectum, et de quo vere dici potest: *Non fecit taliter omni nationi* (1), illi amori, quantum in eo est respondeat, non solum ad actus adorationis, amoris et gratitudinis est frequenter incitandus, sed etiam occasiones eos publice eliciendi sunt eidem offerendae.

Cum autem hujus divini sacramenti fidelium adorationi expositio, si rite et opportune fiat, aptissimum sit incitamentum, ut hi Christum Dominum, ibi amore nostro manentem, toto cordis affectu supremo latriae cultu adorent, diligant, ac grati animi sensus eidem ostendant; cumque in hac dioecesi inestimabili Dei beneficio cultus et veneratione erga illud augustissimum sacramentum in dies augeatur; quam maxime curent parochi ecclesiarumque rectores, ut praedicta expositio, quae ad populi religionem et amorem erga Dominum augenda perutilis est, non praetermittatur.

Memorent duplicem distingui expositionem, privatam et solemnem, prout santissimum Sacramentum manet in tabernaculo et tantum hujus ostiolum

(1) Ps. CXLVII-9.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

ac pyxis aperiuntur, vel extrahitur ex pyxide et tabernaculo atque in ostensorio exhibetur.

Expositio privata fieri potest absque Episcopi licentia et quoties adest rationabilis causa, eamque, S. Caroli menti inhaerentes fieri commendamus, diebus festis, publicis calamitatibus, vel alia gravi populi necessitate interveniente.

Ad solemnem vero quod attinet requiritur Episcopi facultas et specialis causa: parochis vero et omnibus quibus animarum cura est demandata, ubi exercitia mensis Maji in honorem B. Mariae Virginis peracta fuerint, facultatem solemniter exponendi ultima die, facimus, eam praeterea concedimus pro festo sanctissimi Cordis Jesu, ubi solemniter celebratur, pro ultima die novenarii ejusdem sanctissimi Cordis, vel *Apostolatus precum* illis in locis ubi erectae sint aliquae confraternitates Cordis Jesu vel Apostolatus, atque denique pro tribus ultimis diebus bachanalium, ubi oratio *Quadraginta horarum* appellata celebratur ad gravissimas reparandas offensas quae illis tristissimis diebus divinae Majestati inferuntur.

Tam in expositione quam in repositione Smi. Sacramenti accuratissime serventur omnes rubricae. Sacerdos vel diaconus, qui in throno collocat, aut inde amovet ostensorium stola uti debet (1), non autem velo humerali, quamvis ad posteriorem altaris partem sit ascensurus (2): in expositionis actu cantari debet stropha *Pange lingua;* in repositione vero hae duae quae incipiunt: *Tantum ergo* et *Genitori*. Si expositio fuerit diuturnior, post praedictam stropham *Pange lingua*, ac v.) *Panem de coelo,* si cantetur, dici potest *Dominus vobiscum;* non vero in repositione post orationem, cujus conclusio brevis esse debet (3).

---

(1) Caerem. Episc. l. II. —S. R. C. pluries.
(2) S. R. C. 12 August 1854.
(3) Caerem. Episcop. l. II.—S. R. C. pluries.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

Interdum expositum manet, absque adoratoribus ne ullo quidem temporis momento esse debet: curent ergo sacerdotes ut, quod a Benedicto XIV statutum est, scrupulose sit servandum, scilicet, ut duo, superpelliceo induti, aut saltem unus, coram sanctissimo mysterio flexis genibus reverenter maneat.

Ut cultus et devotio Ssmi. Eucharistiae sacramenti magis magisque augeantur, enixe deprecamur parochos et confessarios, ut impensissime adlaborent verbo et exemplo, quo fideles perfectius in dies agnoscant infinitum erga nos amorem Jesu, qui ex illo misericordiae throno his tenerrimis verbis nos invitat: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos* (1). Sciant omnes *quis* et *quomodo* in tanto sàcramento maneat absconditus, *quibus* et *ad quid* maneat, et haec devota mente meditentur. Sciant hunc ineffabilem Dei donum. Quam maxima frequentia ac reverentia Jesum, in quem desiderant Angeli prospicere, in sacramento invisitent, praecipue filii charissimi hujus civitatis, ubi singulari privilegio, longissimo abhinc tempore, in hac alma Ecclesia Cathedrali jugiter manet solemniter expositum.

Volumus tandem ut pro data occasione consociationes instituantur perpetuae, aut saltem diuturnae adorationis Sanctissimi Sacramenti, prout in aliis dioecesibus cum magno animarum fructu et Eucharistiae veneratione propagatur.

## CAPUT V.

### De sacratissimi Cordis Jesu cultu.

SANCTISSIMO Jesu Cordi vere tribuendum supremum latriae cultum, "quo sane (2) nihil est foven-

(1) Matth. XI-28.
(2) Leo XIII, litteris *Dilecti Filii Dei*, 15 Dec. 1890.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

dae christianorum pietati magis vel opportunum vel utile. Enimvero, caritate inter homines frigescente, benignissimo Providentiae consilio factum est, ut divitias amoris sui Christus Dominus, nova eaque mira ratione, patefaceret, hominesque ad sacratissimi Cordis sui cultum religionemque excitaret. Siquidem una est Jesu Christi caritas, quae possit in animos hominum ea, quae maxime necessaria sunt, studia virtutum injicere, ac funestum illud malorum omnium initium et semen, scilicet effrenatum sui ipsius amorem penitus restinguere„.

Iam vero cum haec nostra dioecesis huic amantissimo Cordi jam sit consecrata, cumque in aliquibus ejusdem paroeciis sit instituta *Confraternitas sacratissimi Cordis Jesu* et in plurimis pia associatio *Apostolatus* precum, seu *orationis*, sit erecta, eo animarum fructu, ut (1) "fidelium ad sacram synaxim frequentia mirifice sit aucta„; de quo in Domino magnopere delectamur, atque gratulamur iis, qui tenerrimam istam devotionem (2) promovendam curant, cum SS. Papa nostro Leone hortamur vehementer ut coeptis sedulo insistant, omnesque per viscera Jesu precamur ut saluberrima erga Cor Jesu, caritatis victimam, devotio magis ac magis augeatur, "valde confisi non minus animarum saluti, quam et publico Ecclesiae bono, Deo juvante, profutura„.

## CAPUT VI.

### De cultu B. Mariae Virginis.

BEATAE Mariae Virgini hyperduliae cultum deferendum est, ex eo quod speciali ratione honoranda sit

(1) Litteris laudatis.
(2) Conc. Compost. tit. III, cap. X.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

prae Sanctis caeteris, quos illa meritis ac dignitate longissime antecellit. Ipsa enim pro primo instanti (1) atque momento suae conceptionis purissima et immaculata existit; ipsa est delicium Patris (2), Filii domicilium, Sancti Spiritus habitaculum ineffabile, sanctior Cherubim, gloriosior Seraphim, coelo latior, sole splendidior.

Ut hujusmodi cultus ac devotio in dies augeatur impensissime curent parochi animarumque rectores concionem frequenter habendam de excellentia B. Virginis, de sua apud Deum potentia, et erga nos misericordia, et quam necesse omnibus sit sub tantae Virginis praesidium confugere, ut salvi facti simus.

Quo majori cum fiducia omnes Mariam invocent, sciant quod ipsa sit Dei mater alma atque mater nostra dulcissima, causa salutis omnium mortalium (3), mediatrix omnium quae in coelo sunt, felix coeli porta (4) seu janua (5).

Sciant orationem Mariae habere rationem imperii (6), unde impossibile est eam non exaudiri, Beatamque Virginem accedere (7) ad illud humanae reconciliationis altare non solum rogans, sed imperans, domina, non ancilla: nam Filius nihil negans honorat.

Sint etiam firmiter persuassi, quod cum Mariam aspicimus, nihil nisi misericordiam cernimus, nam "miseris mater Dei facta est„—ait Seraphicus Doctor—"et tibi officium miserendi commissum, ¡o salus te invocantium!„ (8). Hinc Ecclesia in ore B. V. ponit illa Proverb. verba: *Qui me invenerit inveniet vi-*

---

(1) Bulla dogmat. *Ineffabile Deus*, a Pio IX edita.
(2) S. Tharas. homil. de Praesent. V.
(3) S. Tharas. loco citato.
(4) Ecclesia in hymn. *Ave, maris stella...*
(5) Litan. lauretan.
(6) S. Antoninus, p. IV, tit. XXV, cap. XVII.
(7) S. Petr. Damascen. ser. I de Nativ. B. M. V.
(8) S. Bonavent.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

*tam et hauriet salutem a Domino* (1); necnon illa: *in me gratia omnis viae et veritatis..... Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt* (2). Hinc denique in Salve Regina a nobis invocatur *vita, dulcedo et spes nostra, salve.*

Piae associationes *Filiarum Mariae, Purissimi Cordis B. Mariae Virginis pro peccatorum conversione, Ssmi. Rosarii, B. Mariae de Monte Carmelo,* aliaeque pro posse, eo tamen consilio ut aliae aliis minime officiant, instituantur, accuratissimeque conserventur et augeantur ad honorem Sanctae Dei Genitricis et ad nostram salutem, quia "honorare Mariam est thesaurizare vitam aeternam„ (3).

Parochi animarumque curatores populo praedicent sanctissimum rosarium, velut singulare adversus haereses ac vitia praesidium (4) innumerabiles enim fructus ex hac salutari institutione in christianam rempublicam emanarunt, quod equidem testantur Romani Pontifices (5) et Ecclesiae Doctores (6); enixe ergo adhortentur fideles ut unusquisque, nemine excepto, a teneris annis in ecclesia vel in familiae sinu, Sanctissimam Genitricem cultu hoc eidem gratissimo jugiter venerentur, rosarium quotidie recitando, hanc tenerrimam devotionem in scholarum visitatione quam maxime commendent, ut quae toties christifidelibus rosarii precibus exorata, terrenos hostes profligare dedit, ac perdere, infernos pariter superare concedat.

Optandum foret, ut processiones seu peregrinationes promoverentur ad sanctuarium olim equidem celeberrimum hujus almae Ecclesiae Cathedralis, ubi longissimo abhinc tempore quod hominum memoriam excedit, magna cum devotione veneratur

---

(1) Proverb. VIII-35.
(2) Eccli. XXIV-25 et 31.
(3) Ricard. S. Laurent. de laudib. Virg., lib. II.
(4) Lect. Breviar. in fest. Ssmi. Rosar.
(5) Clem. XIV, S. Pius V, Sixt. V, Benedic. XIII, Pius IX, ac Leo XIII.
(6) S. Alphons., de rosar.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

amantissima nostra Patrona Sancta Maria de Lugo, Virgo, vulgo, *de los Ojos Grandes,* sic dicta ob innumerabiles misericordias et gratias cujuscumque generis concessas iis, qui ante ejus antiquissimam venerandamque imaginem provoluti, fervidis precibus ad illam recurrere non dubitarunt.

## CAPUT VII.

### De Angelorum cultu.

VENERANDI sunt etiam illi coelestes spiritus, naturae excellentia, intelligentia, sanctitate, potentia ac pulchritudine praecelsi, Regis regum aulici ac ministri; invocandus est praecipue Archangelus Michael, atque deprecandus ut defendat nos in praelio (1) sitque fortissimum contra insidias diaboli praesidium; necnon Angeli custodes, de quibus ait Psalmista (2): *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Atque Divus Bernardus (3): "Affectuose diligamus Angelos, tanquam futuros aliquando cohaeredes nostros; interim vero adjutores et tutores a Patre positos et praepositos nobis„. Maxima fiducia opus est, prosequitur idem Doctor Melifluus, quia superari non possunt, nec seduci, nec seducere; quia fideles sunt in sua missione, prudentes sunt et potentes, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris. Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, et tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione; inclama eum et dic: *Domine, salva nos, perimus„.* Sedulo igitur in-

(1) Leo XIII, orat. post. Missam.
(2) Ps. XC-11 et 12.
(3) In Ps. XC.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

vigilent animarum rectores ut Angelorum cultus ac devotio in fidelium cordibus semper fixa inhaereat.

## CAPUT VIII.

### De Beati Joseph aliorumque Sanctorum cultu.

DILIGENTIAM praeterea sedulo adhibeant ut cultus ac devotio Sancti Joseph ubique propagetur; ipse etenim est ab aeterno praedestinatus ut esset dignus Matris Dei sponsus, et ejus virginitatis custos, et pater putativus Jesu, qui erat subditus (1) illi. Ipse Ecclesiae universalis patronus est declaratus, de quo jure merito canit Ecclesia in ejus festo: "Coelitum Joseph decus, atque nostrae certa spes vitae, columenque mundi.„ Hinc Diva Theresia sic ait (2): "Significare vult Deus omnibus patrocinium Sanctissimi Josephi implorantibus, quod sicut ipse in hoc mundo vivens factus homo, voluit subditus esse Josepho et ejus obedire mandatis, ita etiam in coelo ad dexteram Patris gloriosus existens, nihil ei pro nobis interpellanti negat, quin immo libentissime omnia concedit. Neque memini me aliquid ab eo petiisse, cujus me compotem non fecerit. Aliis Sanctis gratiam Deus dedisse videtur, ut in una necessitate invocantibus se opitulentur, sed hunc gloriosum virum ego experta sum in qualibet necessitate adjuvare et adesse. Eligo S. Joseph in patronum et omnia ei commendo„. Quapropter fervide hortentur omnes Christi fideles, ut in quavis necessitate ad hunc singularem Sanctum recurrant, haec sacra verba illis dicendo: *Ite ad Joseph* (3), ut magna cum fiducia ejus implorent auxilium. Denique ejus cultus

(1) Luc. II-51.
(2) Cap. VI ejus vitae.
(3) Genes. LV.

magis magisque promoveatur per confraternitatem vulgo de *Josefinos*, per mensis Martii exercitia, et aliis modis secundum temporis et locorum circunstantias. Ita plane fiet, ut quod possibilitas nostra non obtinet, tanti protectoris nobis intercessione donetur.

Debemus tandem ceteros Sanctos invocare atque orare ad interpellandum pro nobis (1); "ordo est enim„ —ait Angelicus Doctor—"divinitus institutus in rebus, secundum Dionysium, ut per media ultima reducantur in Deum„. Unde cum Sancti qui sunt in patria sint Deum propinquissimi, hoc divinae legis ordo requirit ut nos, qui peregrinamur a Domino, in eum per sanctos medios reducamur. Atque deinceps subdit: "Sicut, mediantibus Sanctorum suffragiis, Dei beneficia in nos deveniunt, ita oportet nos in Deo reduci, ut iterata beneficia ejus sumamus mediantibus Sanctis„. Hinc Tridentina Synodus (2) praecipit Episcopis, ut fideles doceant: "Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium Ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster redemptor et salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque conjungere„. Speciali vero modo invocandi sunt Sancti proprii nominis, quos sancta mater Ecclesia, dum sacramentum regenerationis nobis est collatum, ut patrinos nobis assignavit. "Quorum exemplis ad pie vivendum excitemur, et patrociniis protegamur„ (3).

(1) S. Thom. in IV sent., dist. 44, q. 3, a. 2.
(2) Sess. XXV.
(3) Paul. V, in Rituali Romano.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

## CAPUT IX.

### De Tertio Franciscalium Ordine erigendo et propagando.

INTER omnia quae ad pietatem in populo christiano conservandam et augendam magnopere conferre perspicuum est, non infimum sane locum Tertii Franciscalium Ordinis erectio et propagatio tenet, utpote ex ejus fundatore et historia facile colligitur.

Auctorem hoc institutum habet Divum Franciscum Assisiensem splendidis virtutum ornamentis decoratum, insignibus ac pene innumeris clarum miraculis, corpore, sacris stigmatibus ab Angelo impressis, vivam Redemptoris vulnerum imaginem gerentem, domum Dei labantem tueri coelesti voce jussum, quique velut in speculo positus formam atque exemplar pietatis se christianis praebuit, et magna gratia apud Deum valens thesauros misericordiarum coelestium plena manu in suos devotos continuo effundit.

Ut primum Tertius Sancti Francisci Ordo, qui et *poenitentiae* audit, prodivit, quamplures ei Summi Pontifices, Cardinales, Episcopi, Reges, et natalium luce splendicantes viri nomen dare festinarunt. Praestantissimus illi honos habitus est, et magnificis eum laudibus Papae affecerunt, usque adeo ut ejus sodales, *milites Christi, Machabeos alteros* Gregorius IX dixerit. "Neque carebat veritate laus: magnum enim salutis publicae praesidium erat in illo hominum ordine; qui propositis auctoris sui virtutibus et legibus, perficiebant, quoad facultas ferret, ut christianae honestatis decora in civitate reviviscerent. Certe ipsorum opera exemplisque extinctae saepe aut de-

linitae sunt factionum partes: erepta ab efferatorum dextris arma: litium et jurgiorum causae sublatae: parta inopiae et solitudini solatia: castigata fortunarum gurges, et corruptelarum instrumentum, luxuria„ (1).

Si autem tunc temporis ad fidem et pietatem fovendam tantopere poenitentiae Ordo contulit, prout historica monumenta testantur, non minori ad id adminiculo hac tempestate fore pro comperto habemus: ejus etenim spiritus, utpote vere christianus, omnibus temporibus inservit et congruit. Ad hoc accedit, ut nostrum et duodecimum, quo Divus Franciscus floruit, saeculum uno tenore fluant: sicuti namque per illud tempus, exempli causa, albigenses non Ecclesiam modo, sed potestatem civilem etiam acerrime insectabantur, et omnia vel sacra vel profana susque deque perturbabant; ita nostra memoria *naturalismi* propagatores per singulos dies crescunt, Ecclesiae imperium detrectantes, et societatis fundamenta convellere satagentes.

Hac hominum aetate, dum caritas frigescit, et plerique virtuti valedicentes, in luxuriam solvuntur, vinose obruunt, voracitati suae deserviunt, otio indulgent, sua profundunt et aliena appetunt, faustu intumescunt, et omni dedecore volutantur, peropportunum citra dubium est ob oculos societatis ponere id genus hominum, qui extra septa monasteriorum aetatem degentes, Patris Seraphici vestigia sequuntur, et evangelicis legibus obtemperant. In praesenti, quum fraternitatis specie plurimi sectis massonicis longe lateque diffusis nomen dantes in unum coalescunt, "et Ecclesiae sanctae perniciem palam aperteque moliuntur„ (2), maxime expedit, ut Dei cultores, consilia et studia conjungentes, piam,

(1) Leo XIII, encycl. *Auspicato concessum*, 17 Septem. 1882.
(2) Leo XIII, encycl. *Humanum genus*, 20 Apr. 1884.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

de qua agimus, sodalitatem ingrediantur, quo melius, coelesti Divi Francisci auxilio roborati, praelia Domini praelientur. Hoc tempore, ubi socialismus, communismus et nihilismus, lethiferae instar pestis, "quae per artus intimos humanae societatis serpit, eamque in extremum discrimen adducit„ (1) undequaque grassantur, rerum civilium ordinem labefactare enitentes, jus proprietatis impugnantes, et bellum saevissimum Regibus et divitibus indicendo, apprime congruit eam erigi et propagari confraternitatem, in quam pauperes et locupletes cooptantur christiani amoris vinclis colligati, atque ad omnia misericordiae opera prompti.

Ipsis Tertio Ordini ascriptis, praeter aliquot privilegia, innumerabiles prope et facillime lucrandae conceduntur indulgentiae, tum plenariae, tum partiales, applicabiles defunctis: sic, verbi gratia, semel in mense qui *Pater*, *Ave et Gloria Patri* ad Romani Pontificis intentionem recitaverit, iisdem gratiis gaudet, ac si Romam, Portiunculam, Hierosolymam, aut Compostellam, religionis causa, visitasset.

Praeterea hoc sodalitium vere universale est; omnes bene moratos homines post unius anni tirocinium intra sinum suum recipit, dummodo tamen majores sint quatuordecim annorum, et nuptae viri consensum habeant; nec alia insignia exigit, nisi scapulare parvum et cingulum de more gerendum.

Ejus denique Ordinis regula nec multa nec laboriosa praescribit: praeter ea quae communiter a pie viventibus peraguntur, injungitur menstrua confessio et communio; jejunium pridie sacra solemnia Mariae Virginis Immaculatae et Patris Francisci legiferi; duodecies in singulos dies *Pater*, *Ave* et *Gloria* recitare; Missam quotidie, dum commode fieri possit, au-

---

(1) Leo XIII, encycl. *Quod apostolici*, 28 Decemb. 1878.

dire; in commune pro sodalibus sublevandis, et divino cultui consulendo, aliquid juxta cujusque facultatem conferre, sodales aegrotantes de mandato praefecti invisere; atque ad defunctorum municipum vel hospitum exequias convenire.

Summis ergo precibus omnes sacerdotes obtestamur, ut totos conatus huc insectantes fideles doceant utilitatem ex hoc Ordine provenientem, qui adeo "aptus est multitudini„ (1). Quoniam Nobis concessa est facultas per Nosmetipsos vel per alios sacerdotes, praesertim parochos, quoad respectivam dumtaxat parochiam, ad habitum et professionem Tertii Ordinis S. Francisci admittere, admissisque benedictiones cum indulgentia plenaria statis diebus impertiri, necnon tertiarios, sicubi eorum numerus sufficienter excreverit in congregationes coadunare, et unicuique directorem praeficere, parochi ad Tertium Ordinem in suis parochiis instituendum, cui operi totis viribus incumbere confidimus, ad Nos recurrant.

## CAPUT X

### De Sanctorum reliquiis et imaginibus.

I. Doceant parochi magnam venerationem et honorem deberi Sanctorum reliquiis, prout Tridentina Synodus iis verbis adstruit (2): "Sanctorum martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse„. Idipsum confirmatur a Concilio Compostellano, tit. III,

(1) Leo XIII, constit. *Misericors Dei*, 30 Maj. 1880.
(2) Sess. XXV, *De invocat. Sanctor.*

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

cap. I, cujus doctrina magna cum diligentia ab omnibus servetur.

II. Quod vero ad sacras imagines attinet, hanc Concilii Tridentinae (1) doctrinam recordentur: "Per historias mysteriorum nostrae redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressis, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis: tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quae a Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per Sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam„.

Caveant ne publicae venerationi exponant imagines ex fragili materia confectas, nec priusquam ab habente facultatem benedicantur (2). Nemini liceat in ullo ecclesiae loco, aliquam *insolitam* ponere imaginem, nisi approbatione Episcopi obtenta.

Sanctorum imagines sint modestae, devotae et Ecclesiae spiritui apprime conformes. In earum ornatu prohibemus quidquid nostrae religionis sanctitatem dedeceat vel prototyporum vitae ac moribus offendat; nequid profani in eis appareat, neque irrisionis ansam ullo modo praebeant.

## CAPUT XI.

### De aliis cultus actibus.

VEL maximam modestiam ac reverentiam exigentibus tam ex parte clericorum quam fidelium supre-

(1) Sess. XXV, decret. citat.
(2) Ritual. Rom. et Pontif. Rom. *De benedict. imaginum.*

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

ma excellentia illius Divinae Majestatis, ante cujus augustissimum thronum coeleste, *Seraphim velantes faciem* (1), et *Sancti, requiem non habentes die ac nocte* (2), *clamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus,* religionis mysteriis atque ecclesia ubi peraguntur; sequentia fideliter sunt servanda:

I. Clerici eisque inservientes in sacristia inter se non loquantur; quod si necessitatis causa aliquando necesse sit aliqua verba facere, sit breviter tantum ac submisa voce; nec aliud quid faciant quod hujus loci sanctitatem dedecet, velut ludere, prandere, tabaci fumum attrahere, caeteraque hujusmodi.

II. Ne in mediis agendis sacris unus et alter quid sibi sciscitetur, aut prorsus haereat, aut credentia imparata, quaedam ad opportunitatem desint, quaedam praeter fas et momentum omittantur aut temere fiant, ex quo perturbatio ministrantium et confussionem ac invisentium despectum risumve suboriri possit; ut e contra ad rem liturgicam nitidus ordo adhibeatur, quo sancta mysteria caeterique ritus ab administris cunctis pacate, adamussim, devoteque perficiantur; praecipimus ut ad quodlibet cultus actum peragendum omnia sint debito loco et tempore praeparata.

III. "Cantus„—ait Divus Bernardus—"in ecclesia mentes hominum laetificat, fastidiosos oblectat, pigros sollicitat, peccatores ad lamenta invitat; nam quantumvis dura sint corda saecularium hominum, statim ac dulcedinem psalmorum audierint ad amorem pietatis convertuntur„. Ad hos autem effectus producendos non cursim ac festinanter, sed tractim, non truncate, sed integre, distincte, devote, reverenter, cum decenti pausa cantus fiat; non utantur inordinata vociferatione, naturam ad cantandum velut

(1) Isai. VI-2
(2) Apoc. IV-8.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

urgentes; cantum gregorianum noscendum curent, ut ex pluribus unicus concentus harmonicus fiat, quo Deum laudemus in terra, Angelorum instar ac beatorum in coelis. Recordentur quod super hoc sapientissime disposuit Concilium Tridentinum.

IV. Volumus sacramentorum ministros antequam ad eorum administrationem deveniant, juxta Divi Caroli monitum, in instructionibus de sacramentis, paululum saltem in sacrae actionis, quam suscepturi sunt meditatione attente versatos; atque ut ipsi sancte ministrent, sancta enim sancte sunt tractanda, et ii, quibus sunt ministranda, pie ac salutariter percipiant; flexis genibus ad altare paulisper orabunt pro sacramenti administratione recte et fructuose facienda.

V. Omnes, sacris functionibus praesertim sancto Missae sacrificio inservientes, sint perfecte instructi munere suo fideliter fungendo; caeteris fidelibus, sicut clerici, modestia, gravitate, reverentia atque devotione praecellant; in sacristia tum maxime in ecclesia a vanis colloquiis sese omnino abstineant; inclinationes genuflexionesque coram sanctissimo Eucharistiae sacramento quam devotissime faciant, ut aedificationis exemplum omnibus se praebeant.

VI. Meminerint parochi, animarumque rectores excellentes campanarum fines ab Ecclesia sibi propositos, secundum hos perantiquos versus, ori cujusdam campanae imputatos:

"Laudo Deum verum,
Plebem voco, congrego clerum,
Defunctos ploro,
Nimbum fugo, festaque honoro„ (1),

et quod Pontificale Romano petitur "ut cum melodia illius auribus insonuerit populorum, crescat in

(1) Glossa cap. *Quia cunctis.*

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

eis devotio fidei, procul pellantur omnes insidiae inimici„ (1). Quapropter per campanarum sonum horae quibus sacrae functiones, praesertim sanctum Missae sacrificium, perficiuntur, fideliter indicentur; debito igitur tempore ac modo pulsari debent ut fideles illarum signa intelligentes cultus actibus adesse queant. Praeterea per illarum sonum, matutino, meridiano, ac vespertino tempore, diebus singulis, salutationis angelicae signum detur. Ad usus vero profanos praeter necessitatis casum, absque nostra auctoritate non pulsentur.

VII. Laici nisi ob necessitatis causam sacristiam non occupent, non presbyterium neque chorum. Ne canes aut quid aliud Dei domus indignum in ea permittantur. Homines a mulieribus in ecclesia, in quantum fieri possit, sint sejuncti: illi loco presbyterio proximiore se tenentes; postea vero hae, velato capite prout monet Apostolus (2).

VIII. Omnes christifideles caveant ne in ecclesia irreverenter se gerant: vel inter se confabulando, vel oculos a fronte, a tergo, a lateribus convertendo, tum alios ad risum provocando, tum cachinni aut strepitus causam praebendo, et, quod vel maxime lugendum, turpiter spectando, quinimmo obscena verba fortasse proferendo; multi enim, ut asseruit Divus Chrysostomus (3), nefandum tunc temporis lascivientium crimen ingemiscens, "ad formas mulierum aspiciendas, ad adolescentulorum pulchritudinem curiosius intuendam in ecclesiam veniunt„. Maxima autem cum modestia, reverentia ac devotione versentur, Deum benedicendo ut hortatur psalmista: *in ecclesia benedicite Deo* (4); hoc perficientes quod omnibus christianis a Domino commendatur: *Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito, et pater tuus qui videt*

(1) Caerem. Episcop. l. I, c. VI, n. 3.
(2) I Cor. XI-13.
(3) Hom. LIV in Matth.
(4) LXVII-27.

*in abscondito, reddet tibi* (1). Quae Domini verba sic sapientissime exponit Divus Ambrosius: "Cubiculum tuum mentis arcanum, animique secretum est. In hoc cubiculum tuum intra, hoc est, egredere de corporis tui exteriori vestibulo, et totus intra in alta praecordia cordis tui et claude ostium„ (2), alioquin, ut docet Divus Bernardus (3), vel sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certe quae difficilius amoventur, irreverentia imaginum corporearum phantasmata absque dubio reverentiam devotionemque penitus tollent.

IX. Ne quid peccati fiat occasio ubi pro peccatorum remissione deprecandum est, sed e contra, qua decet reverentia, fideles in ecclesia versentur; parochi animarumque rectores accurate eorum instructioni invigilent pro temporis opportunitate, de hujusmodi peccati foeditate effectibus et poenis quibus profanatores domus Dei punientur, necnon de reverentia atque sanctitate quae ecclesiam decet, concionem eis faciendo. Illos hortentur, ut, dum in templum pergant, attente considerent, quo tendunt, illud Davidis in memoriam revocando: *introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum* (4). Humillime in hunc ingrediantur, aquam benedictam devote assumentes ac dicentes: "Haec aqua benedicta sit nobis salus et vita per merita Christi. Amen„. Hortentur praeterea, ut, dum in ecclesia perseverant, secum volvant, quo in loco sint, quod nempe sint coram illa augustissima Majestate, "quam laudant Angeli atque Archangeli.....„ (5). Illos doceant diversos modos orandi et quibus praecipue in operibus, diebus festis se exercere debeant, ut rite Deum colant, omniaque ad Ejus majorem gloriam peragant.

---

(1) Matth. VI-6.
(2) D. Ambr. l. I de Abel., c. IX.
(3) Serm. XXIII in Cantic.
(4) Psalm. V-8.
(5) Eccles. in praefat.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# TITULUS IV.

## DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

## CAPUT I.

### De clericorum sanctitate.

Qui a Deo vocati, clericali militiae ascripti, atque ad sacerdotium tandem provecti, indelebili suscepto charactere, servitio Ecclesiae sese in perpetuum mancipaverunt, excelsiores coelis facti (1), ac sublimem, supra id quod dici potest, dignitatem sunt adepti, cui et sanctimoniae excellentiam admodum esse consentaneam, extra omnem est aleam dubietatis, et publico omnium suffragio probatur.

Et re quidem vera, si antiquae legis sacerdotes, qui boves et oves sacrificabant, erant sancti Deo suo (2), sine macula (3), juxta cor et animam Dei (4), novi testamenti ministri, qui Agnum divinum immolant, ¿quis non videt quam multum interest, ut sine crimine sint, sicut Dei dispensatores, non superbi, non iracundi, non percussores, non turpis lucri cupidi, sed hospitales, benigni, sobrii, justi, sancti, continentes (5), pleni Spiritu Sancto (6), atque,

(1) Hebr. VII-26.
(2) Levit. XXI-6.
(3) I Machab. IV-42.
(4) I Reg. II-35.
(5) Tit. I-7 et 8.
(6) Act. VI-13.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

ut vas electionis (1) Divus Paulus, imitatores Christi (2), qui est Pontifex innocens, impollutus, et segregatus a peccatoribus (3)?

Ad hoc, sacerdotes sunt mediatores Deum inter ac plebem; ideoque expedit eos et bona conscientia nitere quoad Deum, et bona fama quoad homines (4). Pro hominibus constituuntur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerant dona et sacrificia pro peccatis (5): ac proinde, a peccatis ut alieni sint, oportet. Arguere et increpare jubentur (6): ergo irreprehensibiles esse convenit; decet enim, ut "munda sit manus, quae diluere aliorum sordes curat„ (7).

Denique, fidei bonum depositum custodire debent (8): igitur, sicut patri credentium, Abram, dictum fuit (9), ambulent coram Deo, et sint perfecti.

Clamat itaque vestis, clamat status, clamat professio animi sanctitatem (10); et "sic decet omnino clericos, in sortem domini vocatos, vitam moresque suos componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum praeseferant„ (11).

Reposita est haec spes nostra in sinu nostro, quod hujus almae dioecesis clerici suam celsitudinem, munera, et statum recolentes, Deo optimo maximo auspice, semper quam longissime recedentes a vitiis, ac multis magnificisque virtutum titulis honestati, pellucide florebunt moribus purissimis, numeris finibusque omnibus, pro eo quod fert humana conditio, absolutis.

---

(1) Act. IX-15.
(2) I Cor. IV-16.
(3) Hebr. VII-26.
(4) S. Thom., Suppl., q. 26, a. 1, ad 2.
(5) Hebr. V-1.
(6) II Tim. IV-6.
(7) S. Gregor., Pastor., p. I, c. IX.
(8) II Tim. I-14.
(9) Gen. XVII-1.
(10) S. Hier., Ep. LVIII.
(11) Conc. Trid., sess. XXII, cap. I, *de ref.*

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

## CAPUT II.

### De optimo exemplo a clericis praebendo.

"Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur„ (1).

Spectaculum facti sunt clerici mundo, et Angelis, et hominibus (2). Fideles in eos nullo non tempore obtutum figunt, atque, ex illorum externa agendi ratione, interiorem animi pietatem intelligunt; etenim ex visu cognoscitur vir (3).

Non quae discunt, et accipiunt, et audiunt solum, verum quae vident etiam in sacerdote, haec aguntur a Christi fidelibus (4). Domus et conversatio clerici magistra est publicae disciplinae: quidquid ille fecerit, id sibi omnes faciendum putant (5); et quatenus exempla validiora sunt verbis; haec namque movent solum, illa vero trahunt etiam, erit populus sicut sacerdos, quantumvis hic contra dicat quam facit.

Nihil pejus ac lacrimabilius Christi Ecclesiae contingere potest, quam clericos habere vulgatae nequitiae, qui contaminant haereditatem Domini (6), et cum adulteris portionem ponent, enarrantes justitias Dei et assumentes testamentum ejus per os

(1) Conc. Trid., sess. XXII, cap. I, *de ref.*
(2) I Cor. IV-9.
(3) Eccli. XIX-26.
(4) Philipp. IV-9.
(5) S. Hier., Ep. ad Heliod.
(6) Isai., XLVII-6.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

suum, quum re veritatis oderunt disciplinam, et projiciunt ejus sermones retrorsum (1). Quando cadit potens qui salvum faciebat populum Israel (2), quando, nempe, propatulo peccat sacerdos, populi ruina illico provenit; cum enim pastor per abrupta graditur, consequens est, ut ad praecipitium grex feratur (3).

Summis ergo precibus omnes nostrae dioecesis clericos rogatos velimus, ut forma facti gregis ex animo (4) ministerium suum honorificent (5); atque ut digne Evangelio Christi conversantes (6), exemplo sint fidelibus in verbo, in conversatione, in charitate, in castitate (7), in doctrina, in integritate, et in gravitate (8), adeo ut in illis morum perfectione conspicuis et multis sanctitatis nominibus suspiciendis virtus se per omnes numeros omnibus palam ostendat.

Pusillorum etiam scandalum vitent, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis (9); atque offendicula auferant de via populi Dei (10), nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum (11).

## CAPUT III.

### De clericorum zelo pro salute animarum.

“OMNIUM divinorum divinissimum cooperari Deo in salutem animarum„. Sic enim pro Christo legatione

---

(1) Psal. XLIX-16 et 18.
(2) I Machab. IX-21.
(3) S. Greg. Pastor., p. I, lib. II.
(4) I Petr. V-3.
(5) Rom. XI-3.
(6) Philipp. I-27.
(7) I Tim. IV-12.
(8) Tit. II-7.
(9) Tit. II-8.
(10) Isai. LVII-14.
(11) II Cor. VI-13.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

fungimur, tamquam Deo exhortante per nos (1), Dei sumus adjutores (2) et ministri (3), vocati in societatem Filii Ejus (4), qui mittit nos, sicut et Eum misit Pater (5), ut eamus, et fructum afferamus, et fructus noster maneat (6).

Ad imaginem et similitudinem suam creavit Deus animas; charitate perpetua illas dilexit; et pro ipsis tradidit Filium, ut, per proprium sanguinem eas sibi reconcilians, affigensque cruci chirographum decreti, quod erat contrarium, drachmam perditam inveniret, oves errantes reduceret, laborantes et oneratos reficeret, vitam daret et ut abundantius daret: nihil ergo Deo gratius esse potest quam zelus pro salute animarum, pro quibus Pater Unigenitum suum dedit, et Christus mortuus est, et Spiritus Sanctus incessanter gemitibus inenarrabilibus postulat.

Nihil insuper prae animarum zelo ipsis clericis utilius: quoniam, qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum (7): qui autem ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates (8). Nae, si a Christo ei benefit, qui uni ex minimis ejus benefacit; et non perdit mercedem suam, qui frigidae aquae dat calicem in nomine Salvatoris, ¿nonne cumulatissimum meritorum thesaurum thesaurizabit in coelo, nonne, quum villicationis suae reddiderit rationem, sedebit ipse super sedem judicans, qui omni molimine, quantum fuit in eo situm, saluti animarum consulit?

Majorem ergo in modum omnes, qui Deo militant

(1) II Cor. V-20.
(2) I Cor. III-9.
(3) II Cor. VI-4.
(4) I Cor. I-9.
(5) Joan. XX-21.
(6) Joan. XV-16.
(7) Jac. V-20.
(8) Dan. XII-3.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

in sortem Domini vocatos, rogamus, ut dominici gregis pervigiles observatores et custodes indefessi nusquam ab ovilis sui conspectu ne unguem quidem latum abscedant. Hoc unum abs clericis magnopere petimus et contendimus, ut videntes ministerium quod acceperunt (1), pascant qui in eis est gregem secundum Deum (2), semper solliciti pro fidelibus (3), libentissime impendentes et superimpendentes pro animabus (4), tribulantes pro earum salute (5), et, dum opus fuerit, usque ad mortem accedentes (6). Quod si praeocupatus fuerit homo in aliquo delicto, eum clerici instruant in spiritu lenitatis (7); nocte et die non cessent cum lacrymis eum monere (8); et obsecrent pro Christo, ut reconcilietur Deo (9).

Meminerint tandem curam animarum non habentes, quod et ipsi tenentur, pro suis quisque facultatibus, fidelium sanctificationem procurare. Mandavit hominibus Deus unicuique de proximo suo (10); omnibus dictum fuit: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum* (11). ¿Quanto ergo arctiori amoris vinculo erga animas, pro quibus totum suum Christus sanguinem fudit, ii constringentur, qui de sorte Domini sunt, et Domini partem habent? Nonne e manu illius clerici, qui non confirmat fratres suos (12), et perire relinquit infirmum in sua scientia (13), sanguinem Deus requiret? (14).

---

(1) Coloss. IV-17.
(2) I Petr. V-2.
(3) Coloss. IV-12.
(4) II Cor. XII-15.
(5) II Cor. I-6.
(6) Philipp. II-30.
(7) Gal. VI-1.
(8) Act. XX-31.
(9) II Cor. V-20.
(10) Eccli. XVII-12.
(11) Matth. XXII-39.
(12) Luc. XXII-32.
(13) I Cor. VIII-11.
(14) Ezech. III-18.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# CAPUT IV.

## De clericorum castitate.

Vitia carnalia exstinguunt judicium rationis; quia luxuria totam animam trahit ad delectationem (1). Nuntium pluries perpetuum remittit virtuti is, quem illecebris delinitum voluptatum inhonesta et perniciosa tenet libido. Istiusmodi peccati consuetudo fit postremum necessitas, cujus quidem servitio exire, hoc opus, hic labor est.

Longe autem graviorem turpitudinis vitium habet malitiam in sacerdote, qui ea re Deum in ipso habitantem corrumpit, quantum in se est, et vitiis suis conjungit; qui, prius quam Deo offerat, semetipsum maligno impuritiae spiritui victimam immolat; quique Agni immaculati sacrosanctas contingit carnes, et in sanguine Salvatoris manus intingit lutosas ac pollutas.

Nihil ideo est Nobis optatius, quam ut cuncti de clero se ipsos castos custodiant (2), et mundos corde (3), moribus undequaque integris et incontaminatis, taliter ut ne in eis quidem nominetur immunditia, sicut decet Sanctos.

Sensus comprimant; de visu autem praecipue curent, Job aemulantes, qui foedus cum oculis pepigit suis, ut ne cogitaret quidem de virgine.

A frequenti feminarum consortio pedem discedant; ac summam circa illas in conversando cautelam adhibeant: melior est enim iniquitas viri, quam mulier benefaciens (4); quoniam sicut homo non potest abscondere ignem in sinu suo, quin vestimenta

(1) S. Thom. II-II, q. 53, a. 6, ad 3.
(2) I Tim. V-22.
(3) Matth. V-8.
(4) Eccl. XLII-14.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

ipsius ardeant; aut ambulare super prunas, quin plantae ejus comburantur (1); ita multum est negotii mulieres agere amicas, eisque familiariter colloqui, et mentis saltem integritatem servare.

Non modo a malo, sed ab omnigena mali specie vitam debent ecclesiastici viri deducere remotissimam, curam habentes de bono nomine (2), et fama incorrupta. Propterea rarum, brevem ac rigidum habeant sermonem vel cum ipsis feminis pietate conspicuis: sine testibus domi eas, nisi gravi interveniente causa, haud recipiant: in itinere nequaquam comitentur: epistolas absque imperiosa necessitate nullimode mittant: puellas crebro invisere minime velint: nec monasteria sanctimonialium frequentare praesumant.

## CAPUT V.

### De clericorum obedientia.

Omnes obedire jubemur praepositis nostris, eisque subjacere: et optima quidem de causa; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus nostris reddituri (3). Christi simus imitatores, qui descendit de coelo, non ut faceret voluntatem suam (4), quique erat obediens usque ad mortem (5), et subditus parentibus (6): non vero spiritum diaboli sectemur, quem imitantur qui sunt ex parte ipsius (7), quasi velamen habentes malitiae libertatem (8).

---

(1) Prov. VI-27, 28 et 29.
(2) Eccli. XLI-15.
(3) Hebr. XIII-17.
(4) Joan. VI-38.
(5) Philipp. II-8.
(6) Luc. II-51.
(7) Sap. II-25.
(8) I Petr. II-16.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

Obtemperandum a clericis est Episcopis, Dei unctis, quos ipse posuit regere Ecclesiam. Obeditionem Antistiti suo et successoribus ejus sacerdotes promiserunt, et vota sua reddere debent, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis (1).

Hoc solo in casu a superioris praeceptis recedere licet, quando nempe, quod absit, divina cum lege in aperto adversa fronte pugnarent; tum enim obedire oportet Deo magis quam hominibus (2). In dubio autem semper est imperium exsequendum, utut mandata sint operosa et laboris immodici, et correctio appareat injusta. Permittitur vero cum reverentia causas exponere, ob quas praeceptum adimpleri nequiret.

Adversum Praelati praescripta murmurari caveant qui sunt ex ordine cleri: ei non detrahant (3); neve cum detractoribus commisceantur (4); Mariam enim murmurantem contra Moysem lepra (5), Core autem, Dathan et Abiron, Aaron contemnentes, terra dehiscens (6) punivit.

Ecclesiis, quibus eos Episcopus dicaverit, libentissime deserviant sine ulla prorsus recalcitrantis vel haerentis animi ostensione, rubenitas aemulantes ac galaaditas, qui responderunt ad Josue, atque dixerunt: *Omnia, quae, praecepisti nobis, faciemus, et quocumque miseris, ibimus: sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus et tibi* (7).

Oblivione non deleant, qui sunt e clero, quod mensura, qua mensuraverint, eadem remetientur: per quae peccat quis, per haec et torquetur (8); anima pro anima, oculus pro oculo, dens pro dente, manus

(1) Ephes. IV-3.
(2) Act. V-29.
(3) Exod. XXII-28.
(4) Prov. XXIV-21.
(5) Num. XII-10.
(6) Num. XVI-31.
(7) Jos. I-16 et 17.
(8) Sap. XI-17.

pro manu, pes pro pede exigitur (1). Si Ordinario non obsecundant, si ejus jussa non facessunt, eumdem inobedientiae spiritum, et murmurationis, et superbiae, et rebellionis in sibi subditis dolenter deplorabunt. ¿Et quo tum jure eos reprehendere possent?

Siquidem non est potestas nisi a Deo, et qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, ac sibi damnationem adquirit (2), subjecti simus propter Deum, quia sic est voluntas ejus, sive regi, sive ducibus, quasi liberi, sed sicut servi Dei (3): auctoritatem vero civilem spiritualia invadere haud quaquam committendum.

Laicos, penes quos potestas est ecclesiastici viri, ea qua par est, reverentia prosequantur, propriae tamen dignitatis non immemores. Cum iisdem sint concordes, et pacem, quantum per conscientiam liceat, custodiant; neu in illis, quae ad laicum solummodo regimen spectant, sese immiscere praesumant.

## CAPUT VI.

### De mutua clericorum charitate.

Plenitudo legis (4), finis praecepti (5), et vinculum perfectionis (6) dicitur charitas, quae ex Deo est (7), et operit multitudinem peccatorum (8). Hoc est praeceptum Dei, ut diligamus invicem, sicut ille dilexit nos (9). *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt,*

(1) Deut. XIX-21.
(2) Rom. XIII-1 et 2.
(3) I Petr. II-13, 14, 15 et 16.
(4) Rom. XIII-10.
(5) I Tim. I-5.
(6) Coloss. III-14.
(7) I Joan. IV-7.
(8) I Petr. IV-8.
(9) Joan. XV-12.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

*quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum* (1).

In hoc cognoscent omnes, quia discipuli Christi sumus, si dilectionem habuerimus ad invicem (2). Bonus odor Christi erimus, et optimo fidelibus exemplo, si, nolentes contristare Spiritum Sanctum, in quo signati sumus (3), et per quem charitas Dei diffusa est in cordibus nostris (4), cor unum fuerimus, et anima una (5). ¿Qua vero fronte ad concordiam fideles adhortaremur, si nosmetipsi, charitate deficiente, concordes non essemus?

Nec omittendum, quod omne regnum divisum contra se desolabitur (6): frater autem qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma (7): ut boni ergo milites simus Christi Jesu (8), et fructuose praeliemur praelia Domini, siquidem in eadem acie pugnamus, et una est nostrae spes vocationis (9), omnes qui de uno eucharistico pane participamus, castificantes animas nostras in fraternitatis amore (10), tamquam membra unius corporis invicem diligamus, et omnes unum simus, ut credat mundus, quia Pater misit Filium (11).

Vehementissimo itaque desiderio desideramus, ut cuncti de clero, quos quidem concupiscimus in visceribus Jesu Christi, honore se invicem praeveniant, idem sapientes, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate

---

(1) Joan. IV-20 et 21.
(2) Joan. XIII-35.
(3) Ephes. IV-30.
(4) Rom. V-5.
(5) Act. Apost. IV-32.
(6) Matth. XII-15.
(7) Prov. XVIII-19.
(8) II Tim. II-3.
(9) Ephes. IV-4.
(10) I Petr. I-22.
(11) Joan. XVII-21.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

superiores sibi invicem arbitrantes, non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea quae aliorum (1): adeo ut omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor tollatur, et invicem sint benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit nobis (2); et omnia in charitate fiant (3).

## CAPUT VII.

### De invidia fugienda et de inimicis diligendis a clericis.

Hoc nostrae ditionis clericos precamur in Domino et propter Dominum, ut quam longissime ab invidia fugiant, quae tantopere charitati adversatur: ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum (4).

Non contristentur, quum aliorum labores uberiori Deus benedictione fecundat; instar Cain, cujus vultus concidit, cum respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus (5), et Saul, qui iratus est nimis, quando praecinebant mulieres ludentes atque dicentes: *Percussit Saul mille et David decem millie* (6): sed contra, dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur, in hoc gaudeant (7), cupientes, ut det omnibus Dominus spiritum suum (8).

Nec invidiae sint eis, qui altiores in Ecclesia sunt dignitates adepti, vel doctrinae celebritate longe praeeminent: divisiones enim gratiarum sunt, et

(1) Philipp. II-2, 3 et 4.
(2) Ephes. IV-31 et 32.
(3) I Cor. XVI-14.
(4) Jac. III-16.
(5) Gen. IV-4.
(6) I Reg. XVIII-7.
(7) Philipp. I-18.
(8) Num. XI-29.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

Deus, prout vult, singulis distribuit. Praeterea, sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra; habentes donationes, secundum gratiam, quae data est nobis, differentes (1).

Si eos modo diligimus, qui nos diligunt, nullam mercedem habebimus: diligamus et inimicos nostros (2); non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed contrario benedicentes (3), et providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus (4), Jesum Christum Dominum nostrum imitantes, qui pro crucifixoribus rogabat, ut Pater eis dimitteret (5).

Quamlubet iniquos odio habeamus, eorum, induti viscera misericordiae (6), compati debemus propter Dominum, qui oriri facit solem suum super justos et injustos: fratrem deviantem a rectitudine clerici corrigant, ut ad cor redeat; omni tamen cum prudentia, et mansuetudine, et charitate. Verum per se ipsos non judicent, ne judicentur: aurem difficilem praebeant aliorum delictis; de iis apud laicos ne loquantur: neve ad superiorem deferant, cum vel certitudo facti, vel faciendi deficit utilitas.

## CAPUT VIII.

### De aliis virtutibus a clericis colendis.

Omnium clarescere virtutum luce clericos vehementer optamus. Sobrii sint (7) imprimis; diei enim

(1) Rom. XII-4, 5 et 6.
(2) Matth. V-44.
(3) I Petr. III-9.
(4) Rom. XII-17.
(5) Luc. XXIII-34.
(6) Coloss. III-12.
(7) I Petr. V-8.

sunt (1). Non multo vino serviant (2); vigilia enim, cholera, et tortura viro infrunito (3), qui vini intemperie opprimitur.

Quoniam dux indigens prudentia, multos opprimet (4), semetipsos clerici custodiant sollicite (5), et praeclarum sint totius prudentiae specimen. Videant quomodo ambulent (6); prudentes sint sicut serpentes (7); attendant ad sapientiam (8), et intelligant quae sit voluntas Dei (9). Quatenus ubi non est scientia animae non est bonum (10), et dissipantur cogitationes, ubi non est consilium (11), sine consilio nihil faciant (12), et id semper a sapiente perquirant (13).

Radix omnium malorum est cupiditas (14); ideo habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus (15), quoniam pauperum est regnum coelorum (16), clericis, ut Dei vicem repraesentantibus, derelicti sunt pauperes (17); igitur, quod superest, dent eleemosynam (18), et quomodo potuerint, ita sint misericordes (19); manet enim in saeculum justitia ejus qui dedit pauperibus (20), et jucundus erit homo qui commodat (21). Alta denique mente tenendum

---

(1) I Tess. V-8.
(2) Tit. II-3.
(3) Eccli. XXXI-23.
(4) Prov. XXVIII-16.
(5) Deut. IV-9.
(6) Ephes. V-15.
(7) Matth. X-16.
(8) Prov. V-1.
(9) Ephes. V-17.
(10) Prov. XIX-2.
(11) Prov. XV-22.
(12) Eccli. XXII-24
(13) Tob. IV-19.
(14) I Tim. VI-10.
(15) I Tim. VI-8.
(16) Matth. V-3.
(17) Psal. IX-14.
(18) Luc. XI-41.
(19) Tob. IV-8.
(20) Psal. XCI-9.
(21) Psalm. CXI-5.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

decretum Concilii Tridentini (1) prohibens, "ne ex reditibus Ecclesiae consanguineos familiaresve suos augere studeant; cum et Apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa„.

Patientes clerici sint ad omnes (2), supportantes invicem in charitate (3). Patientia enim opus perfectum habet (4); necessaria est (5), atque in ea possidebunt animas suas (6).

Siquidem initium omnis peccati superbia (7), et Deus superbis resistit (8) et arrogantes abominatur (9), curent qui in sortem dominicam sunt adsciti, ut non veniat eis pes superbiae (10), et ab omni supercilio faustuque longissime absint. Sicut parvuli efficiantur, et quanto majores sunt humilient se in omnibus; quoniam "humilem Deus protegit et liberat; humilem diligit et consolatur; humili homini se inclinat; humili largitur gratiam magnam, et post suam depressionem levat ad gloriam„ (11). Non, tandem, efficiantur inanis gloriae cupidi (12), nec diligant vanitatem (13).

---

(1) Sess. XXV, *de ref.*
(2) I Thess. V-14.
(3) Ephes. IV-2.
(4) Jac. I-4.
(5) Hebr. X-3.
(6) Luc. XXI-19.
(7) Eccli. X-15.
(8) Jac. IV-6.
(9) Prov. XVI-5.
(10) Psalm. XXV-12.
(11) *De imitatione Christi*, lib. II, cap. II, num. 2.
(12) Gal. V-26.
(13) Psalm. IV-3.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

## CAPUT IX.

### De clericorum oratione.

SINE Domino nihil possumus facere (1); non enim sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est (2). Deus autem nullam communiter dat gratiam, quin homo eam suppliciter efflagitet: omnis vero, qui petit, accipit (3).

Clericus igitur, quem diabolus tanquam cibum electum quaerit, ut devoret, atque expetit, ut cribet, debet, Christum imitans, qui erat pernoctans in oratione (4), et Apostolos, qui orationi esse volebant instantes (5), orare plus quam fideles, semper (6), omni tempore (7), sine intermissione (8), ad tristitiam repellendam (9), et notum faciendum mysterium Evangelii (10), ut non intret in tentationem (11), ut Deus ei aperiat ostium sermonis (12), et hic currat et clarificetur (13).

Accedit, quod Deus, qui hominem reconciliavit sibi per Christum, reconciliationis ministerium dedit sacerdotibus, ex hominibus assumptis, et pro hominibus constitutis: sacerdotes ergo commendent fideles Deo et verbo gratiae ipsius, qui potens est aedificare, et dare haereditatem in sanctificatis omni-

---

(1) Joan. XV-5.
(2) II Cor. III-5.
(3) Matth. VII-8; id. XXI-22; Marc. XI-24; Luc. XI-9; Joan. XIV-13; id. XVI-23.
(4) Luc. VI-12.
(5) Act. VI-4.
(6) Luc. XVIII-1.
(7) Luc. XXI-36.
(8) I Tess. V-17.
(9) Jac. V-13.
(10) Ephes. VI-19.
(11) Marc. XIV-38
(12) Coloss. IV-3.
(13) II Tess. III-1.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

bus (1): deprecentur pro populo (2): inter vestibulum et altare plorent dicentes: *Parce, Domine, parce populo tuo* (3), et, fratrum amatores, multum orent pro universa sancta civitate (4), pro Christi nempe Ecclesia.

"Quotidie clericus, abjecta caeterarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debet„ (5). Clerici meditentur vitam et passionem Christi, qui exemplum dedit nobis (6), et a quo discere debemus (7): haec est enim vita aeterna, ut cognoscamus Deum, et quem misit Jesum Christum (8). In Dei etiam mandatis meditentur (9), et testimonia ac lex divina eorum meditatio sit (10): in meditatione enim concalet cor, et exardescit ignis (11), et ea deficiente desolatur terra (12).

Divini tandem officii, optimae orandi formae, pensum clerici in sacris constituti, et qui ecclesiasticum beneficium obtinuerint, attente et devote ad normam Breviarii Romani persolvant.

## CAPUT X.

### De Missae celebratione.

QUOTIDIE, dummodo possint, sacrum faciant sacerdotes, ut Deo honorem praestent, Angelos exhilarent, animas in purgatorio detentas juvent.

Ante Missam, praesertim si jam sint vestibus in-

---

(1) Act. XX-32.
(2) Levit. IX-7.
(3) Joel. II-17.
(4) II Machab. XV-14.
(5) S. Silvester in lect. Brev. Rom. die 31 Decemb.
(6) Joan. XIII-15.
(7) Matth. XI-29.
(8) Joan. XVII-3.
(9) Psalm. CXVIII-47.
(10) Psalm. CXVIII-24 et 77.
(11) Psalm. XXXVIII-4.
(12) Jer. XII-11.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

duti, ni aliqua id necessitas exigat, neminem colloquantur.

Caveant sacerdotes, ut solummodo intuitu stipendii celebrent, vel aliquid supra taxam synodalem exigant, vel propria auctoritate Missarum numerum a testatore institutum in minorem reducant. Non potest sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta: contra justitiam est etiam pro pluribus sacrificiis accipere stipendium, et unum sacrificium offerre (1).

## CAPUT XI.

### De aliis ad sanctitatem et conservandam et augendam conducentibus.

Cumprimis clerici Dominum Deum timeant (2) in tota anima (3); in timore veterascant (4), et cum metu et tremore salutem propriam operentur (5). Delicta enim ¿quis intelligit? (6). Deinde nescit homo, utrum amore an odio dignus sit (7). Nec de propiciato peccato possumus esse sine metu (8). Denique, qui se existimat stare videat ne cadat (9).

Omnibus diebus vitae suae in mente habeant Deum (10), cogitent Illum (11), Ejus recordentur (12), faciem Ejus quaerant (13), cum Eo ambulent (14), et

(1) Ex prop. IX et X ab Alex. VII damn. fer. V, die 24 Sept. 1665.
(2) IV Reg. XVII-39.
(3) Eccli. VII-31.
(4) Eccli. II-6.
(5) Philipp. II-12.
(6) Psalm. XVIII-13.
(7) Eccles. IX-1.
(8) Eccli. V-5.
(9) I Cor. X-12.
(10) Tob. VI-6.
(11) Prov. III-6.
(12) Deut. VIII-2.
(13) Psalm. CIV-4.
(14) Gen. XVII-1.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

in conspectu Ejus vivant (1), ut delectentur (2), et caro sua requiescat in spe (3).

Quoniam qui semetipsum dijudicat, non utique judicatur (4), scrutari debent cuncti de clero et quaerere vias suas (5) per quotidianum generale et particulare examen, ut ad perpendiculum se ipsos discutiendo, defectus observent, de his doleant, ac de die in die spiritualiter proficiant.

Libros spirituales secum habeant, quos assidue perlegant: profecto enim Deus legenti colloquitur. Vitam praesertim eorum pervolvant, qui inter filios Dei sunt computati, et quorum sors inter sanctos est, ut illorum, intuentes exempla et exitum conversationis, fiant imitatores.

Tametsi culpae lethalis non sint conscii, in unaquaque hebdomada, vel saltem singulis quindenis diebus poenitentiae sacramentum accipiant, ut uberrimas gratias ex ipso earum fonte impetrent, ab iniquitatibus jam remissis amplius laventur, atque a peccatis purgentur venialibus; in multis enim offendimus omnes (6). Doctum, pium ac expertum conscientiae moderatorem eligant, cui eam aperiant, et prorsus obtemperent, quemque non facile mutent.

Nemo non aliqua a nobis probata causa legitime praepeditus excusatum se dicat a periodica spirituali recollectione: sanctis id genus exercitiis assistentes regulas ac methodum pro illis praescriptas ad unguem exsequantur; ac postea frequenter in memoriam revocent melioris vitae proposita tunc temporis concepta.

Unoquoque in mense diem aliquam seligant sacri recessus, ut virtutum operibus omnino dediti, ni-

(1) Ose. VI-3.
(2) Psal. LXXVI-4.
(3) Psal. XV-9.
(4) I Cor. VI-31.
(5) Jer. Lam. III-40.
(6) Jac. III-2.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

hil non divinum animo menteque agitantes, in solitudine audiant vocem Dei loquentis ad cor, et gratiam, quam per manuum impositionem acceperunt, resuscitent. Ardentissima devotione denique prosequantur, sacratissimum Cor Jesu, ac Beatam Mariam cleri Reginam.

## CAPUT XII.

### De habitu et tonsura clericali.

"Etsi habitus non faciat monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant„ (1).

Reapse, amictus corporis annuntiat de homine (2). Ab exteriori interior cognoscitur animi pietas: ideoque per ipsum clericalem habitum possunt fideles spiritualiter aedificari.

Adde quod clericos, utpote a populo segregatos et in sortem Domini electos, a fidelibus oportet distingui signis externis, ac vel ipso habitu dignosci, eo quod sanctis vestibus induant (3). Jam vero "fere omnia quae post Tridentinum celebrata sunt Concilia, clericos adegerunt ad gerendam vestem talarem nigri coloris, quae quidem unice clericorum propria, eorumque ordini maxime conveniens est„ (4).

Injungimus quidem et Nos, ut omnes nostrae ditionis clerici, praecipue vero in sacris ordinati, talarem semper vestem induant, maxime dum in oppidis etiamsi parvis versantur: transgressores autem gravissimis poenis, prout de jure, puniemus; eos

---

(1) Conc. Trid., sess. XXIV, *de reform.*
(2) Eccli. XIX-27.
(3) Exod. XL-13.
(4) Bened. XIV *De Synod. dioec.*, lib. VI.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

praesertim qui ad ecclesiam accedunt, vel extra eam rituales functiones obeunt sine hujuscemodi vestibus. "Hic vero habitus, prout ab novissimo Compostellano Concilio statutum fuit (1), in omnibus civitatibus et oppidis, quae capita sunt ditionis juditialis, aliisque frequentioribus, ex talari tunica et pallio nigri coloris constabit, *sotana* et *manteo* nuncupatis, in ruralibus vero oppidis, clerici in sacris constituti semper dicta tunica induti incedant; poterunt tamen pallium mutare in supra positam commodiorem vestem, quae *balandrán* aut *greca* vulgo audit„.

Sordidas aut pannosas vestes clericos induere nullatenus permittimus: verum luxum, vanitatem, et elegantiam studiosius quaesitam longe a se faciant: modestia sua nota sit omnibus (2) et juvenilia desideria fugiant (3). Eapropter collaria magno artificio elaborata et acu picta universis nostrae ditionis clericis omnino vetitas declaramus; sicut et ocreas gummi sinensis glutine illinitas, et chirothecas, ni forte hae ratione frigoris necessariae aliquibus in locis videantur.

Minime comam clerici nutriant; nec illa adscititia vel fucata utantur, dispensatione non obtenta. Tonsuram in orbem ductam, conspicuam, et unicuique ordini respondentem constanter deferant: regale enim sacerdotium sunt (4), cujus essent indigni, si regalem coronam prae se ferre erubescerent.

(1) Tit. IV, cap. II.
(2) Philipp. IV-5.
(3) II Tim. II-22.
(4) I Petr. II-9.

## CAPUT XIII.

### De oblectamentis clericis prohibitis.

Sacri canones venationem clamorosam nuncupatam, videlicet eam, quae magno apparatu fit canum et armorum, universis clericis interdicunt. Maxime velimus, ut ii, quorum est venatio animarum, hanc satis habentes, a ceteris prorsus abstinerent: profecto enim, qui otium terunt huic oblectationi operam dantes, grave periculum adeunt aliquam incurrendi irregularitatem: ac nimia defatigatione ex id genus exercitio plurimum proveniente inepti fiunt ad sacra ministeria exacte ac libenter obeundum: nihilominus eam toleramus, quae, sive laqueis sive scloppetis, paucis adhibitis canibus, exercetur venationem; modo diebus in festis non fiat, et clerici nec proprii status insignia deponant, nec plus in hoc, quam sat est, temporis impendant.

Qui spectaculum facti sunt mundo et Angelis et hominibus, nullimode eis intersint spectaculis, quae vel laici pii ac prudentes merito odio habent. Choreis, cujuscumque sint generis, ac publicis theatris ne assistant; neve conventus musicos adeant; a frequentioribus fugiant ambulacris; taurorum agitationes sibi a Summis Pontificibus prohibitas memorent: denique tabaci fumum clericos in viis et plateis haurire reprobamus.

Nequaquam in publico clerici ludere praesumant; quia hoc ecclesiasticae adversatur gravitati ac modestiae. Chartarum pictarum ludi, si aleatorii sint seu purae sortis, clericis prorsus vetantur, utut in parva ii quantitate ludant: quippe nullo negotio ita avaritia ortum habet, et a divinis animus distrahitur. Quod si non a sorte solum, sed ab opera etiam et in-

dustria ludentium pendent, et domi inter se vel cum aliquo pio laico habeantur, permitti possunt, dummodo immodicum tempus in eis non insumatur, nec multam pecuniam clerici apponant, non turpe lucrum sectantes (1) et nullius argentum et aurum concupiscentes (2).

Clerici delectentur in Domino (3), et membra sua mortificent (4): aedificationem Ecclesiae quaerant (5); et quatenus inter ea, quae licent, non omnia aedificant (6), a parum aedificantibus oblectamentis abstineant, ut omne os obstruatur (7); oportet enim testimonium habere bonum (8).

## CAPUT XIV.

### De aliis quae clericis vetantur.

ARMA, tum offensiva tum defensiva, extra necessitatem gestare clericis non licet; etenim spiritualia sunt arma militiae nostrae, Christumque imitari debemus, qui mitis est corde, et non alienum, sed proprium sanguinem fudit.

Tabernas suae vel vicinarum paroeciarum, praeterquam ministerii spiritualis gratia, minime clerici ingredi praesumant: quod si in itinere necessitate compulsi cauponas adeant, aut apothecas, quae vulgo *cafés* audiunt, quam breviter inibi maneant, et modestiae clericalis non obliviscantur.

"Tum quia negotiatio nimis implicat animum saecularibus curis, tum quia est ordinata ad terre-

(1) I Tim. III-8.
(2) Act. XX-33.
(3) Psal. XXXVI-4.
(4) Coloss. III-5.
(5) I Cor. XIV-12.
(6) I Cor. X-23.
(7) Rom. III-19.
(8) I Tim. III-7.

num lucrum, cujus clerici esse debent contemptores„ (1), viris ecclesiasticis prohibetur negotiatio proprie dicta seu lucrativa, quae tunc locum habet, quum res emuntur animo revendendi, forma non mutata, sive mercaturam per se, sive per alios, vel alieno nomine exerceant: licet tamen emere ad sustentationem necessaria et superflua venditare, atque aliquid mercari, ut per industriam mutatum vendatur.

Omnino eorum agendi rationem improbamus, qui mercatus et nundinas frequentare non verentur, sive otii, sive mercationis causa: et quoad facultas feret, in hanc rem incumbemus, si suo numine dexter adfuerit Deus, ut id genus scandali e medio tollatur.

Siquidem nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus (2), generatim clericis prohibentur officia curatoris minorum, qui non sint eorum proximi propinqui; judicis in causa sanguinis; atque procuratoris, advocati, notarii, et tabellionis in curiis saecularibus. Praeterea servum Domini non oportet litigare (3); ideo Dei pacis ministri haudquaquam sint litigantes: prius autem quam ad civilia tribunalia veniant, licentiam ab Ordinario obtineant.

Quoniam, instar Christi (4), in iis quae Patris sunt, oportet clericos esse, ne eorum corda graventur in curis hujus vitae (5), generatim eisdem ea omnia prohibentur, per quae facile cor adhaeret terrenis: nam piscatores hominum facti sunt (6) et huic soli studere debent, dimittentes mortuos sepelire mortuos suos (7). Profana devitent (8) et quae spiritum

(1) S. Thom. II-II, q. 77, a. 1.
(2) II Tim. II-4.
(3) II Tim. II-24.
(4) Luc. II-49.
(5) Luc. XXI-34.
(6) Matth. IV-19.
(7) Matth. VIII-22.
(8) II Tim. II-16.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

ecclesiasticum non redolent; inter sanctum et profanum habeant distantiam (1), ut non sit sicut populus sic sacerdos (2).

Denique artes mechanicae et serviles, et caetera, quae clericorum lenitati aut status sanctitati vel honestati repugnant, viris ecclesiasticis merito jure canonico prohibentur: ipsas enim vestes, Aaronis instar (3), novae legis sacerdotes sanctas habent in gloriam et decorem.

## CAPUT XV.

### De clericorum scientia.

Sacerdotes positi sunt in lucem gentium (4), ut luceant sicut luminaria (5); sunt enim lux mundi (6), quippe discipuli Ejus, qui est lumen ad revelationem gentium (7) et illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (8).

Deinde sacerdotes fidei depositum custodire debent (9), et indicare judicii veritatem (10), et verbum praedicare (11), et docere testamentum Domini et justitias Ejus (12), et legis verba ponderare (13), et praeesse populis (14): quapropter jussit Dominus in rationali judicii Aaron sacerdotis poni doctrinam et veritatem (15).

---

(1) Ezech. XXII-26.
(2) Isai. XXIV-2.
(3) Exod. XXVIII-2.
(4) Act. Apost. XIII-47.
(5) Philipp. XV-2.
(6) Matth. V-14.
(7) Luc. II-32.
(8) Joan. I-9.
(9) I Tim. VI-20.
10) Deut. XVII-9.
(11) II Tim. IV-2.
(12) Eccli. XLV-6.
(13) Isai. XXXIII-18.
(14) Sap. VI-23.
(15) Exod. XXVIII-30.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

Idcirco sacerdotes custodire debent scientiam (1), et in doctrinis glorificare Dominum (2), et pascere fideles in scientia et doctrina (3): alioquin essent canes muti non valentes latrare (4), et caeci duces caecorum (5), non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant (6); et populus conticebit (7), et omnis grex dispergetur (8), et captivus ducetur (9) captivitate peccati.

Minime vero inquirant mala (10), aut stultas quaestiones (11), aut sapientiam hujus mundi (12), aut terrenam et animalem, et diabolicam (13), in scientia quae inflat (14), semper discentes et numquam ad scientiam veritatis pervenientes (15); sed sua sapientia sit desursum, primum quidem pudica, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, non judicans, sine simulatione (16).

Quoniam autem omne datum optimum et omne donum perfectum descendit a Patre luminum (17), postulent a Domino (18), qui dividit singulis prout vult (19), et est Deus scientiarum (20), et dat sapientiam (21), et erudit, et de lege sua docet (22), ut mittat

---

(1) Malach. II-7.
(2) Isai. XXIV-15.
(3) Jer. III-15.
(4) Isai. LVI-10.
(5) Matth. XV-14.
(6) I Tim. I-7.
(7) Ose. IV-6.
(8) Isai. X-21.
(9) Isai. V-13.
(10) Prov. XXVIII-21.
(11) Tit. III-9.
(12) I Cor. III-19.
(13) Jac. III-15.
(14) I Cor. VIII-11.
(15) II Tim. III-7.
(16) Jac. III-17.
(17) Jac. I-17.
(18) Jac. I-5.
(19) I Cor. XII-11.
(20) I Reg. II-3.
(21) Prov. II-6.
(22) Psal. XCIII-12.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

sapientiam suam, quae cum eis sit, et laboret, ut sciant quid acceptum sit apud Eum (1); et danti illam dent gloriam (2).

## CAPUT XVI.

### De clericorum studio.

Crimine continguntur qui studia, quibus in Seminario vacarunt, sat habentes, eis vale dicunt, simul atque ad sacerdotium sunt erecti: ac neque in corde recto inquirunt scientiam (3), neque eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem amplectuntur (4).

Otiositatem, quae multam malitiam docuit (5), et fuit iniquitas Sodomae (6), studium vitat; affluentissimusque est fons ineffabilium voluptatum. Qui per lectionem non repetit quod didicit, et id, quod scierat, amittit. Aliqua etiam insuper in sacerdotali ministerio occurrunt continuo addiscenda. Accedit quod studia in Seminario facta parum solida et profunda sunt: aliter enim per haud longa curricula academica et tironum juventam non licet. Quid vero multa? Dum haeretici nocturna diurnaque manu versantur in libris vel legendis vel conscribendis ¿nonne summo esset dedecori veritatis ministris vitam ferme integram agere desidia otioque inerti et languidulo sopore torpescentes? Sacerdos sine libris, sine studio, et lectione est "sicut miles sine armis, sicut equus sine frenis, navis sine remis, scriptor sine calamo, avis sine pennis, caecus sine ductore„ (7).

(1) Sap. IX-10.
(2) Eccli. LI-23.
(3) Prov. XXVII-21.
(4) Tit. I-9.
(5) Eccli. XXXIII-29.
(6) Ezech. XVI-49.
(7) Arvisenet Memor. Vit. Sacerd., cap. XLVIII, n. 3.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

Ipsi, quibus animarum cura non est demandata, lectioni totis nervis incumbere tenentur; quia sacramenta in casu necessitatis administrare debent, et religionem coram se laesam suum est vindicare, et parati semper esse jubentur ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quae in nobis est spe (1). Quae omnia non parvum quidem studium vel supponunt vel exigunt.

## CAPUT XVII.

### De iis maxime a clericis sciendis.

In primis omnes, vel ii, quibus unum datum est a Domino talentum, Theologiae Morali juxta Sancti Ligorii placita indefesso studio incumbant: nam errores ex ignorantia Morum Theologiae provenientes plurimum habent gravitatem in praxi maximam; praeterea, cum haec scientia magna ex parte legibus positivis constet, et casus ad infinitum usque diversos diversis respondentes adjunctis consideret, et contrarias Doctorum in dubiis opiniones colligat, et omnium artium, statuum ac professionum supponat cognitionem, opus est lectione indeficienti, ne tot tamque varia e memoria decidant.

Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in omni justitia (2). Habeant ergo clerici solatio Sanctos Libros (3), legem quae est in aeternum (4); attendant lectioni et doctrinae; haec meditentur, in his sint (5), et in prophetis vacent (6), ut

(1) I Petr. III-15.
(2) II Tim. III-16.
(3) I Mach. XII-9.
(4) Baruch. IV-1.
(5) I Tim. IV-13 et 15.
(6) Eccli. XXXIX-1.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

costodiant et faciant omnia quae scripta sunt (1): vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti (2).

Theologiae Dogmaticae omnibus viribus studeant, nec aliud magis scire velint quam Jesum Christum (3), Dei sapientiam (4), in quo sunt omnes thesauri scientiae absconditi (5): nosse enim Dominum consummata justitia est, et scire justitiam et virtutem Ejus radix est immortalitatis (6); quoniam ex ipso, per ipsum, et in ipso sunt omnia (7).

Sociam adjungant operam e Theologia Apologetica et Polemica, ut possint exprobranti respondere sermonem (8): Historiam Ecclesiasticam optime calleant, praepositorum reminiscentes, qui locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitentur fidem (9): Auctores Liturgiae pervolvant, ut sciant caerimonias Domini (10): Patrologiam et Patristicam discere curent, ut sapientiam antiquorum exquirant (11): Sacros autem Canones assidue pellegant, ut sciant quae mater Ecclesia praecipit agenda vel vitanda.

Quamvis praecipuae partes abs dubio sacris studiis debentur, historia, philosophia, scientiae naturales, et litteratura a clericis, si tempus superest, debent coli, ad argumenta repellenda quae hinc Ecclesiae inimici eruere conantur.

Quo facilius his omnibus clerici vacare queant, admodum sobrii sint in ephemeridibus et foliis diariis legendis: libros vero impios, lascivos, aut amato-

---

(1) Josue I-8.
(2) Hebr. IV-12.
(3) I Cor. II-2.
(4) I Cor. I-24.
(5) Coloss. II-3.
(6) Sap. XV-3.
(7) Rom. XI-33.
(8) Prov. XXVII-11.
(9) Hebr. XIII-7.
(10) Deut. V-31.
(11) Eccli. XXXIX-1.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

rios minime habeant; et si habuerint, eos comburant, ephesios imitantes (1). Si qui autem licentiam pontificiam obtinuerint libros prohibitos legendi, eos et ubi nemo alius legere possit habeant, et sine necessitate non pervolvant.

## CAPUT XVIII.

### De conferentiis ecclesiasticis.

PERMAGNI referre conferentias ecclesiasticas, ut disciplinarum sacerdotalium notitia in Seminario accepta conservetur, et sacrae scientiae melius intelligantur, et studium discendi crescat, et uniformitas in caerimoniis adhibendis necnon in casuum moralium solutione habeatur, et clerici ad invicem aedificentur, et mutuae caritatis vincula fiant validiora, et populis parochi sint exemplo fraternitatis et concordiae, hoc notius est, quam ut plura in id verba sumenda sint.

Variis nominibus appellatae hujusmodi cleri congregationes semper in Ecclesia maximi habitae fuerunt. Sanctus Carolus eas in suo archiepiscopatu instituit sequentibus verbis (2): "Hi autem vicarii regionis sibi per Episcopum commissae presbyteros cujuscumque conditionis curam animarum habentes, semel singulis mensibus modo in unam modo in aliam ejus regionis parochialem ecclesiam cogant..... Deinde conserant inter se, quae ad boni pastoris officium, et ad curam animarum recte gerendam pertinent„.

Benedictus Papa XIII in Concilio Romano (3) his gravissimis verbis Episcopos admonet: "Operae pre-

(1) Act. Apost. XIX-19.
(2) Conc. Mediol. I, parte II, c. XXIX *De vicariis foraneis constituendis.*
(3) Tit. XV, c. IX.

tium ducant, omnemque curam ac diligentiam adhibere non desistant, quousque congregationes, tum in civitatibus, tum in dioecesibus, per omnes de clero sacris initiatos....., certo designando die et sub certa poena pecuniaria contra contumaces, habeantur, in quibus alternatim et rituum et conscientiae casus proponantur, et practice exerceantur„.

Benedictus XIV conferentias ubique celebrari supponit; nam, loquens de quibusdam controversiis, expedire docet, ut Episcopus eas "in collationibus seu conferentiis de casibus moralibus, quae inter ipsius clericos haberi solent, discutiendas relinqueret„ (1).

Innocentius XIII in nostra Hispania conferentias ecclesiasticas celebrari jussit: "Quinimmo„—inquit (2)—"enixe hortamur, ut Episcopi satagant, ut omnes ecclesiastici praedicti etiam collationibus habendis super casibus conscientiae forum concernentibus, et super ritibus ac caeremoniis sacris intersint„.

Nostris temporibus Pius IX his verbis collationes morales et liturgicas haberi praecepit: "Ne in sacerdotibus, qui doctrinae et lectioni attendere debent, quique obstricti sunt officio docendi populum, sacrarum disciplinarum studium unquam restinguatur aut languescat industria, instituantur opportunis regulis congressus de Morali praesertim Theologia, ac de sacris ritibus, ad quos singuli potissimum presbyteri teneantur accedere, et afferre scripto consignatam propositae quaestionis explicationem, et aliquo temporis spatio..... inter se disserant de Morali Theologia, deque sacrorum rituum disciplina„ (3).

Utpote ex Sacrae Congregationis Concilii resolutionibus (4) patet, omnes de clero sacris initiati congregationibus interesse debent, atque adversum contumaces poena pecuniaria constitui potest.

---

(1) *De Syn. dioec.* lib. XII, c. VI, n. 12.
(2) *Apostolici ministerii*, n. 7, 13 Maj. 1732.
(3) Encycl. *Singulari quidem* 17 Mart. 1856.
(4) 23 Aug. 1727; 30 Aug. 1732.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

Denique Concilium Compostellanum XXI statuit ac decernit (1) "ut in paroeciis istius provinciae ecclesiasticae collationes hujusmodi celebrentur de Morum Theologia sacrisque ritibus, providis sub regulis a locorum Ordinariis praescribendis. Ad eas, praeter parochos, quicumque sacris ordinibus sunt initiati concurrere tenentur sub poenis arbitrio Episcopi constituendis„.

Haec omnia prae oculis habentes constituimus, ut in nostra dioecesi clerici in sacris initiati conferentiis ecclesiasticis intersint: qui sine gravi causa a Nobis probata ad hos congressus non accederint, pro multam subeant viginti nummorum argenteorum regalium *(5 pesetas)* pro prima vice, et deinceps majori poena punientur. Nec ullum clericum ad literariam concertationem pro parochi munere obtinendo, vel ad examen, ut confessiones audiendi, sacrosanctum Missae sacrificium celebrandi, et verbum Dei praedicandi facultatem consequatur, admittemus, quin fidem facientes literas archipresbyteri subscriptione et sigillo munitas de sua collationibus assidua praesentia afferat.

Moris est hac in dioecesi, ut canonici non intersint conferentiis ecclesiasticis quae in civitate habentur, praeside Canonico Poenitentiario; atque per novissimam dispositionem hac super re, Sede Episcopali vacante confectam, canonici (2) ab obligatione accedendi ad collationes morales et liturgicas excusantur: attamen, quoniam sua praesentia collationes honore afficiunt, et ceteros clericos ad conveniendum allicient, atque os murmurantium iniquoque animo privilegia hac in re ferentium obstruent, et ecclesiasticorum, quos sunt examinaturi ad munus parochiale vel facultatem confessiones audiendi illis impertiendum, studium promovebunt, et sua scientia, dum verba facere voluerint, congregatos adpri-

(1) Tit. IV, c. VII.
(2) Artic. 6.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

me erudient, ab illis poscimus, ut, modo consotiabile sit cum horis statutis pro officio divino in choro solvendo, ad conferentias concurrant, nisi aliqua a Nobis commissa occupatione detineantur, vel gravissimis impediantur ministerii sacerdotalis curis, quibus uberrimo cum fructu animarum maximopere intentos esse nostrae Ecclesiae Cathedralis canonicos persuasum habemus atque ex toto corde gratulamur.

Archipresbyteri praesidebunt congregationibus, quibus intersint, atque Episcopi approbationi proponent caeterarum in suo archipresbyteratu praesides necnon horum vices gerentes; quibus non convenientibus, parochus inter accedentes antiquior praeerit. A secretis illi erunt, qui plura ad id suffragia in congregatione obtinuerint; quod et de eorum vices gerentibus intelligi debet: quibus non concurrentibus, hoc munus parochus recentior exercebit.

Congregationum antistites studebunt, ut omnia ordinatim fiant, absque pacis et concordiae laesione; ad eosque spectat concedere, negare, aut tollere veniam verba faciendi, caritatis tamen non immemores. Sacerdotum a secretis est acta in libro scribere, annotando praesertim nomina eorum qui non convenerint.

Archipresbyteri, de ceterorum ecclesiasticorum consensu, locum, diem et horam, intra tamen secundam cujusque mensis hebdomadam, pro conferentiis assignabunt; et de clericis non convenientibus Nos certiores facient.

Quoniam Deus scientiarum Dominus est, atque omne donum perfectum descendit a Patre luminum, hymnum *Veni Creator Spiritus* ante, et orationem *Gratiam tuam, Pater et Ave* post unamquamque conferentiam flexis genibus sacerdotes recitent.

Ea tandem, de quibus in singulis congressibus sit agendum, opportune in periodico nostrae dioecesis libello edicemus.

# TITULUS V.

## DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

### CAPUT I.

#### De Romano Pontifice.

Cum omnes impii, qui stulto conatu Christi Ecclesiam evertere aggrediuntur, tela sua in Romanum Pontificem praecipue conjiciant, ac nihil non moliantur, ut fideles ab ejus obedientia et amore avertant, necesse omnino est, ut hi contra omnes insidias ac mendacia, in hunc finem inventa, praemuniantur, eaque accuratissime devitent. Quare iis, quae in novissimo Concilio Compostellano, titulo V, capitibus I, II et III, tradita ac praecepta sunt, haec injungere opportunum ducimus:

I. Omnes praesertim clericos enixe rogamus, ut, quae in praecitatis capitibus continentur, saepe in memoriam revocent, ea populum opportune edoceant, et quae ad praxim ordinantur, in hanc et ipsi deducant et ab aliis, quantum in ipsis sit, deduci curent.

II. Cum, occasione data, parochi et concionatores de Romani Pontificis infallibilitate sermonem habeant, exponant oportebit eam donum esse a Domino nostro Jesu Christo Beato Petro Apostolo et omnibus ejus successoribus concessum, quo, in tradenda doctrina divinitus revelata de fide et moribus, errare nunquam potest. Unde opportune doceant non

in omnibus actibus Romanum Pontificem infallibilem esse, sed, ut hac prerogativa gaudeat, duas conditiones requiri et sufficere, scilicet: ut universae Ecclesiae loquatur, quatenus omnium christianorum Doctor et Pastor est, atque ut pro sua suprema apostolica auctoritate doctrinam de fide aut moribus ab universa Ecclesia tenendam definiat (1).

III. Populo praeterea ostendant, quod, etsi, his conditionibus deficientibus, Romanus Pontifex infallibilis non sit, tamen ejus verba ac doctrinae maximi momenti ac auctoritatis sint, ac non modo ejus praecepta sint religiose servanda, sed etiam regulae directivae, hortationes et consilia sumisso ac grato animo sint accipienda ac in magna reverentia habenda. Ejusdemque itidem potestatem doceant rebus stricte religiosis non terminari, sed humanas quoque, quae ad religionem referuntur, atque judicium de conformitate aut repugnantia cujuslibet humanae doctrinae cum catholica complecti.

IV. Romano denique Pontifici in Beato Petro Apostolorum principe a Domino nostro Jesu Christo claves regni coelorum esse datas omnes sciant, atque neminem aeternam salutem sperare posse, qui ab ejus obedientia et communione separatus existat, prae oculis habeant.

V. Hunc igitur communem omnium Patrem ac Supremum Pastorem, divinitus datum, maxima reverentia et amore prosequamur, ejusque doctrinae fideliter adhaereamus; quae bona esse doceat, amplectamur, quae vero mala vel periculosa, omni cura vitemus; ac demum invectiones et mendacia, quae impii ac effrenati homines adversus Christi Vicarium congerere nituntur, non modo exemplo, sed etiam prudentibus correctionibus, si opus sit, et opportunum appareat, rejicere ac diluere ne omittamus.

---

(1) Conc. Vatic., constit. dogm. prima *De Ecclesia Christi.*

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# CAPUT II.

## De Episcopo.

Uti pastoris officium est oves suas agnoscere easque salubri pabulo suisque conditionibus congruenti nutrire (1), ita ovium est pastorem cognoscere, voci ejus obedire, eumque sequi (2). Cum autem Episcopus vere sit pastor, ac praeter Romanum Pontificem solus, cui in sua dioecesi hoc nomen proprie convenit (3), haec mutua officia inter eum gregemque sibi a Domino commissum proculdubio existunt. Ut igitur a nemine sua ignorentur et fideliter impleantur, haec magnopere commendamus:

I. Memorent omnes animarum curam gerentes, quae in praecitato Concilio Compostellano, titulo V, capite IV, tradita sunt, eaque populum doceant et exponant.

II. Omnes hujus dioecesis fideles tum clericos tum laicos impense hortamur ut omnia praecepta aut leges quae auctoritate nostra vel successorum nostrorum constituantur, christiana humilitate acceptent, ac filiali obedientia servent. Caveant omnino, ne, etsi motiva, quibus statuta sunt, ignorent, vel non satis cognoscant, eisdem detrectent; Deus enim Praelatis speciales gratias promisit, ut juste ac recte decernant, non vero subditis, ut de iis, quae decreta sunt, judicent, meliusque videt pastor, qui a collis vertice vigilat, quam oves in valle cubantes. Memorent ac serio recogitent Deum non semel gravioribus poenis in eos qui mandata ministrorum suorum, quam qui sua transgressi sunt, animadvertisse,

---

(1) Concil. Trid., sess. XIII, cap. I, de refor.
(2) Joan. X
(3) Bouix *De Paroch.*, par. I, cap. VI.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

atque studiosius quandoque consulere videri illorum honori quam suo.

## CAPUT III.

### De Seminario.

Quanti momenti sit, quod juvenes, qui ad sacerdotium aspirant, recte instituantur, et a teneris annis christianas virtutes totis colant viribus, facile colligitur ex illis Domini verbis: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus* (1), atque ex illo notissimo proverbio: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea* (2). Quod quidem momentum Ecclesia semper prae oculis habens, quovis tempore prohibuit ad ordines sacros promoveri quos scientia et vitae sanctitas non commendarent; atque ut facilius et perfectius haec assequi possent, cum pro temporum ac rerum adjunctis Dei gloria et animarum salus postulare visae sunt, statuit in Concilio Tridentino (3), ut in omnibus dioecesibus clericorum Seminaria erigerentur, idque decretum ubique fere ad effectum est perductum. Ut igitur nostrae dioeceseos Seminarium finem impleat, quem Ecclesia hujusmodi scholas instituens, intendit, volumus, ut praeter ea, quae in novissimo Concilio Compostellano, cap. IX, titulo V, statuta et commendata sunt, sequentia adimpleantur:

I. Nullus candidatus in illo admittatur "cujus indoles et voluntas spem non afferat eum ministeriis ecclesiasticis perpetuo inserviturum„ (4). Quod si errore aliquis fortasse admissus fuerit, qui his careat

(1) Malach. II-7.
(2) Prov. XXII-6.
(3) Sess. XXIII, cap. XVIII, de reform
(4) Ibid.

conditionibus, prudenter dimittatur. Itidem expellendi erunt qui postquam admissi sunt, a recta via aberraverint, nisi firma affulgeat spes sese ad bonam frugem mox esse recepturos, et ex eorum in Seminario permansione nullum caeterorum scandalum sequatur.

II. Antequam quisque annus scholaris inchoetur, vel si aliqua rationabilis causa tunc obstet, eo inchoato, omnes alumni spiritualibus exercitiis per octo aut plures dies operam dabunt, et anno decurrente caetera exercitia et pia opera peragent, quae a Rectore, praeviis Episcopi cognitione et consensu, opportune praescribentur.

III. Studia ad majorem cursum Theologiae spectantia quatuordecim annis scholaribus conficientur; quorum primis quatuor ediscent alumni Latinitatem et Humanitates, tribus sequentibus Philosophiam, et reliquis septem Sacram Theologiam.

Ut quis in censum alumnorum primi anni Latinitatis et Humanitatum referri possit, probare debet, examine praemisso, se doctrinae christianae catechismum, competenter legere et scribere, atque Arithmeticae rudimenta scire.

Alumnis primi anni Latinitatis et Humanitatum praelegentur rudimenta Grammaticae Hispanae et Latinae, Latina Compositio et Historia Sacra; secundi, Syntaxis supradictorum idiomatum et Geographia; tertii, Prosodia et Ortographia eorumdem idiomatum, Historia profana Universalis et Rhetorica theorica; et quarti, praedictorum idiomatum complementum una cum Rhetorica practica, Historia profana Hispana et Lingua Graeca; primi Philosophiae, Logica et Metaphysica generalis, ac Arithmeticae et Algebrae Elementa; secundi, Metaphysica particularis, ac Geometriae et Trigonometriae Elementa; tertii, Philosophia Moralis, Physicae et Chimiae, necnon Historiae Naturalis et Geologiae

Elementa; primi Sacrae Theologiae, Propedeutica et Religionis Fundamenta, Loca Theologica, necnon Lingua Hebraica; secundi, Institutiones Theologicae Dogmaticae et Historia Ecclesiastica Universalis; tertii, Institutiones Theologicae Dogmaticae, Theologia Moralis et Cantus planus; quarti, Institutiones Theologicae Dogmaticae, Theologia Moralis et Cantus planus; quinti, Hermeneutica Sacra, Patrologia et Rhetorica Sacra; sexti, Hermeneutica Sacra, Patrologia et Rhetorica Sacra; et septimi tandem, Rhetorica Sacra, Disciplina Concilii Tridentini, Conciliorum atque Concordatorum Hispaniae, necnon Archeologia Christiana.

Cursus Juris Canonici conficietur tribus annis ab illis, qui approbationem undecim primorum cursus Theologiae obtinuerint; duobus vero ab illis, qui hunc cursum absolverint.

Alumnis primi Juris Canonici anni praelegentur Jus Publicum Ecclesiasticum et Institutiones Canonicae; secundi, Decretales; tertii denique, Disciplina Concilii Tridentini, et Conciliorum atque Concordatorum Hispaniae.

Cursus minor Theologiae tribus primis annis Latinitatis et Humanitatum, primo Philosophiae, duobus Theologiae Dogmaticae et Moralis atque Cantus plani constabit.

Denique singulis annis praelegentur praeterea Liturgia Sacra et Theologia Pastoralis, easque alumni ediscent anno, quem juxta citatum caput Concilii Compostellani intra Seminarium exigent.

IV. Quivis annus scholaris octo saltem mensibus integris constabit, eoque decurrente, hi tantum erunt dies feriales: a vigesima tertia Decembris usque ad secundam Januarii, a dominica quinquagesimae ad feriam quintam post cineres, a feria quarta majoris hebdomadae ad tertiam infra octavam paschae, dominicae ac festa ex praecepto servanda, et

vespera feriae quintae cujusque hebdomadae, in qua praeter dominicam nulla sit dies festiva.

Alumnis Latinitatis et Humanitatum per duas horas mane et alteras duas vespere quotidie praelegetur; Philosophiae vero et Theologiae per unam horam cum dimidia mane et per alteram cum dimidia vespere, exceptis primi anni Sacrae Theologiae, quibus praelegetur de Theologia per unam horam cum dimidia mane et per alteram vespere, atque de Lingua Hebraica per alteram horam; ac demum alumnis Juris Canonici per unam cum dimidia mane aut vespere. Professores tamen Philosophiae et Sacrae Theologiae, qui bis in die praelegunt, lectionem vespertinam ad unam tantum horam coarctare poterunt. Alumnis Philosophiae, Sacrae Theologiae ac Juris Canonici, pro consuetis praelectionibus, erunt mane singulis feriis quintis a die prima Januarii ad dominicam in palmis academicae exercitationes. Praelectiones et exercitia de Cantu plano erunt tantum hebdomadales, et die, qua melius cum caeteris consociari possint, eis vacabitur. Examina generalia, pro approbatione de quibuslibet disciplinis obtinenda, decem diebus subsequentibus ultimam anni scholaris et decem spiritualia exercitia aut anni scholaris initium, si hoc illis prius sit, praecedentibus, peragentur.

Quoad reliqua, quae ad studia spectant, serventur ordinatio usque nunc vigens ac laudabiles consuetudines hujus Seminarii.

V. Statuimus Seminarium exemptum esse a parochi, in cujus paroecia est, jurisdictione, et nostrae immediate subjectum, quam per Rectorem exercebimus, eique ideo omnia munera officiaque, quae ad curam animarum spectant, committimus.

VI. Serio meditentur tum Rector caeterique moderatores tum praeceptores circa difficile munus a se susceptum, atque verbo et exemplo juvenum

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

mentes disciplinis simul erudire et corda pietate nutrire diligentissime curent. Solliciti sint in docendo, hortando, prudenter corrigendo, ac in morum honestatis bonorumque operum exempla in se ipsis praebendo. Divinae gloriae amplificationem et alumnorum in omni virtute perfectionem semper ante oculos habeant, atque ad hunc finem omnes cogitationes et curas referant.

## CAPUT IV.

### De archipresbyteris.

PRAETER munera et officia in tit. V, cap. XI supradicti Concilii Compostellani consignata, archipresbyteris hujus dioecesis haec erunt:

I. Cum aliquis parochus vel oeconomus tractus sibi definiti graviter aegrotaverit, eum visitet archipresbyter, ac, ut sacramentis opportune muniatur, diligenter curet; ipse eadem illi ministret, omniaque spiritualia subsidia, quibus, dum aegritudo permanet, indiget, accurate praebeat; hortetur tandem, ut res temporales, praesertim si ecclesiasticae sint, quae ordinari opus est, recte disponat. Quod si infirmus e vita decesserit, archipresbytero competunt omnia officia ac jura parochialia, quae ad illius exsequias spectant. Si parochus vel oeconomus extra suam paroeciam aegrotaverit aut e vita migraverit, supradicta munera et officia parocho vel oeconomo paroeciae, in qua haec evenient, competent.

II. Vacante parochia, archipresbyter sacerdotem idoneum eidem praeficiat, qui spiritualem cibum fidelibus ministret, omniaque officia oeconomi propria adimpleat, donec Episcopus, mox ab illo de re certior factus, provideat; duplex inventarium librorum, supellectilium aliorumque omnium, quae ad

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

parochiam vel confraternitates spectant, adscitis testibus, conficiat, ejusque unum exemplar in archivio parochiali, aliud vero in archipresbyterali deponat; atque his rebus ac pecunia acceptis, et traditis sacerdoti, quem parochiae praefecit, quae pro munere suo sunt illi necessaria, reliquas retineat, ut eas oeconomo tradat, prout Episcopus expedire duxerit.

Deficiente vel aegrotante archipresbytero, supradicta munera et officia tum in eum tum in caeteros praedictos parochos et oeconomos ad vicearchipresbyterum pertinent; si vero hic etiam desit aut aegrotetur, eadem parochi vicinioris erunt.

III. Officia sunt praeterea archipresbyteri singulis annis ad episcopalem Cancellariam census parochiales, a parochis et oeconomis, ut in hac dioecesi mos est, confectos, deferre, et hac occasione capta, statum sui tractus quam exactissime Praelato patefacere; atque omnia, quae pro Dei gloria animarum salute aut Ecclesiae utilitate Episcopus eidem commiserit, accurate exequi.

IV. Archipresbyteros rogamus, ut, dum sacerdotum vitae et honestati prospiciunt, adolescentibus, qui ad sacros ordines aliquando suscipiendos adspirant, praesertim Seminarii alumnis, simul invigilent; quod si eorum vitam moresque altissimo fini, ad quem tendunt, non congruere noverint, Nobis opportune nuncient.

V. Invigilent denique super his, quae in Concilio Compostellano de *familia clericorum* praescripta sunt (1), et de quacumque transgressione, quam noverint, Praelatum certiorem faciant.

---

(1) Tit. V, cap. XIV.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# CAPUT V.

## De parochis.

Postquam, christianorum numero mirabiliter aucto, Episcopi non potuerunt per se ipsos cibum spiritualem omnibus ministrare, quosdam presbyteros elegerunt, eisque partem gregis sibi a Domino commissae commendarunt, ut dependenter ab illis sed jure proprio mysteria Dei frequentius necessaria eidem dispensarent. Hi Episcoporum adjutores in animarum cura, qui parochorum nomine multis abhinc saeculis insigniuntur, fere soli plerumque Ecclesiae personam agunt apud supradictae gregis partem sibi commendatam, atque ex eisdem maxima hominum pars de christianae religionis efficacia judicium efformare solent; ideoque minime mirandum est, si multis gravissimisque officiis teneantur erga fideles sibi ab Episcopo concreditos.

I. Impense igitur parochos et omnes, quibus cura animarum est, obsecramus, ut magna diligentia ac religione omnia officia implere omniaque opera exequi curent, quae in eorum memoriam revocat eisque commendat ultimum Concilium Compostellanum titulo V, capite XII. Ut alacri ac promptiore animo haec peragant, saepe in mentem revocent quantum per ea Dei gloriam amplificent, quam efficaciter ad aeternam animarum salutem cooperentur, quantamque in vitae exitum consolationem ac in coelum mercedem sibi comparent.

II. Omnes de parochia in hac dioecesi provisi fidei professionem modo sacris canonibus praescripto eliciant, obedientiam spondeant, et canonicas institutionem ac possessionem intra duos menses a tituli confectione computatos accipiant; intra vero alte-

rum bimestre, vicario idoneo interea sibi substituto, domicilium in illa constituant, ac residentiae tum materialis tum formalis legem in posterum fidelissime servent. A suis paroeciis non absint, quin eas sacerdoti idoneo commendent, et licentiam ab archipresbytero, si tribus tantum diebus, et ab Episcopo, si pluribus sint abfuturi, obtineant. Cum neque Episcopi hanc licentiam sine gravi causa ultra duos menses singulis annis concedere possint (1), caveant omnes curam animarum habentes, ne ad longius tempus, sive continuum sit sive interruptum, sine praedicta causa, neque tempore adventus et quadragesimae ac festis solemnioribus abesse sibi concedi petant.

III. Ut facilius ac exactius impleant parochi et oeconomi officium oves suas agnoscendi, animarum censum conficiendi occasione capta, et omnibus cautionibus, quae rerum ac personarum adjuncta suadeant, adhibitis, omnes familias suae curae commissas quotannis visitent; quot et quae personae praecepta confitendi et communicandi implere teneantur, inquirant; spirituales fidelium necessitates, quatenus caute possint, cognoscere curent; omnibus salutaria monita praebeant, ac, ut ad rite peccata confitenda et sanctissimam Eucharistiam cum magno fructu suscipiendam se disponant, negligentes hortentur. Quotannis experiantur, ut in hac dioecesi jam mos est, utrum fideles, qui praeceptis confessionis et communionis annuae satisfacere tenentur, christianae doctrinae rudimenta sciant, et opportunitate data, auxilia spiritualia unicuique congruentia impertiri numquam omittant.

IV. Ut ex divini verbi auditione quam maximum fructum fideles percipiant, saepe memorent et ad praxim deducant parochi ac caeteri animarum

(1) Conc. Trid. sess. XXIII.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

curam habentes omnia, quae de praedicatione tradita et inculcata sunt in citato Concilio Compostellano tit. I, cap. XVI, et tit. V, cap. XII, atque in hac Synodo, tit. I, cap. I. Vitent igitur hinc profanum dicendi genus et audientium captum plane excedens, illinc vero rusticitatem et incuriam; uti enim illud sacram doctrinam et praedicationis finem dedecet, ita verbi divini dignitas ac reverentia eidem debita vetat, ne absque praeparatione incomposite et inconsiderate annuntietur. Pari caveant ratione, ne ullas male sonantes aut intempestivas propositiones vel ulla verba populo aut piis auribus offendentia proferant. Saepe in sacris concionibus populo inculcent orationis ac sacramentorum frequentiam, virtutum necessitatem et pulchritudinem ac vitiorum deformitatem; occasionum peccandi fugam ac media tentationes superandi, fidei nostrae et amoris in Deum motiva, devotionem erga B. V. Mariam, praemiorum ac poenarum vitae futurae considerationem, atque labores et opera a sanctis peracta, ut illa adipiscerentur easque vitarent.

V. Omnes curam animarum habentes intra Missam diebus dominicis celebrandam fidelibus nuntient festa, jejunia et abstinentias in hebdomada servanda, necnon indulgentias, quas in eadem lucrari possunt, exponendo simul pia opera ad eas lucrandas exequenda; atque Missa finita, fidei, spei et charitatis actus cum populo eliciant.

VI. Meminerint parochi eorumque vices gerentes hujus dominicae comminationis, quae apud Ezechielem legitur: *Si non fueris locutus, ut impius se custodiat a via sua, ipse impius in impietate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram* (1); et neque incuria neque ob humanum respectum correctionis officium implere omittant. Inquirant,

---

(1) Ezech. XXXIII-8.

et, prout zelus ac prudentia suggesserint, corrigant eos, qui in peccato vivunt, praesertim concubinarios, blasphemos, vetitos libros aut pravas ephemerides legentes, festa contemnentes et scandala quolibet modo praebentes; omnesque suas oves, quae vitam deviam sequuntur, salutaribus admonitionibus ad morum emendationem impellant. Quod si, omnibus adjunctis perpensis, in Domino cognoverint emendationem ex correctione sperari non posse, exemplo corrigant, suam displicentiam ostendendo, ne caeteri fideles, scandalum manere videntes, existiment nulla sollicitudine neque angore ob id pastores affici.

VII. Frustra parochi sacramentorum frequentiam populo inculcarent, nisi ipsi ad ea ministranda facile se offerrent; curent igitur non tantum officium eadem ministrandi, cum necessitas urgeat aut fideles rationabiliter petant, implere, sed etiam his occasionem eadem suscipiendi exhibeant, praesertim diebus festis, opportune ecclesiam adeundo, et, saltem dum fideles adsunt, qui confiteri aut communicare velint, in ea manendo.

VIII. Cum verba tantum moveant, exempla vero trahant, hominesque majorem habeant fidem oculis quam auribus, caveant animarum curam gerentes non solum a malo sed etiam a mali specie, nemini offensionis occasionem dantes, et omnium virtutum exempla praebeant. Dominum nostrum Jesum Christum imitari fideliter studeant, qui prius fecit quam docuit, atque Apostolum, qui merito fidelibus dicere potuit: *Imitatores mei estote sicut et ego Christi* (1).

IX. Cum demum non omnia quae licita ac bona sunt, semper expediant, prudentiaeque proprium sit humanas actiones in omni eventu recte dirige-

(1) I Corinth. IV-16.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

re, summopere curent parochi hanc virtutem sibi magis magisque comparare, eique in omnibus obsequi. Illam a Deo, qui omnium donorum auctor est, frequenter petant, et, cum suae diffidere contingat, ac de rebus gravioribus agatur, Episcopum, cui specialem assistentiam Dominus pollicitus est, consulant.

## CAPUT VI.

### De coadjutoribus et sacerdotibus adscriptis.

I. MEMORENT coadjutores caeterique sacerdotes, quae de eisdem in novissimo Concilio Compostellano, tit. V, capitibus XV et XVI, tradita sunt, et omnia officia ibi exposita implere quam exactissime curent.

II. Cum in hac dioecesi magnus sit ecclesiarum filialium numerus, parvus vero coadjutorum, ob eamque causam paucissimi sint qui uni ecclesiae definitae sint praefecti, omnes tenentur Evangelium praedicare in Missis, quas in paroecia, cui sunt assignati, diebus dominicis et festis celebrent.

## CAPUT VII.

### De confessariis et cappellanis monialium.

CONFESSIONES monialium, quod etiam de congregationibus votorum simplicium intelligi debet, audiri nisi ab eis nequeunt, qui *aetatis maturitatem, morum integritatem, et prudentiae lumen* habentes, ab Episcopo specialem ad id facultatem obtinuerint: praeterea "approbati pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii minime possunt audire confessio-

nes monialium alterius monasterii„ (1). Confessionalia ex sacristiis et aliis locis occultis removeri debent et collocari in ecclesiis exterioribus monialium (2).

Nequaquam monialium confessiones audire velit ordinarius confessor nec ad monasterium accedat tempore deputationis confessoris extraordinarii, quem bis aut ter saltem in anno offeremus ut "omnium confessiones„ (3) audiat, omnium nempe qui huic juri renuntiari nolint: ut enim omnes moniales coram extraordinario confessore successive debeant comparere, non omnes tamen tenentur confiteri; etenim "quod ad gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum„ (4).

"Confessor sanctimonialium, tam ordinarius quam extraordinarius, minime ingrediatur secta monasterii, nisi ad sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et extremae unctionis ministranda monialibus, vel aliis personis ibi degentibus, necnon ad commendandam animam agonizantium„ (5). Indutus hoc in casu superpelliceo et stola, recta via et absque moris eat redeatque omni cum gravitate ac modestia, nec alias infirmas visitet, quibus sacramenta non sint necessaria. Confessario hoc munere fungente, cellae janua continuo sit aperta, sic ut conspici tam ille quam aegrota a monialibus possint: minime vero pernoctari ei in monasterio licet ad subveniendum infirmae in extremis positae.

Prout recentissime Sacra Episcoporum et Regularium Congregatio declaravit (6), ex mandato sapientissimi Leonis Papae XIII, solius vel ordinarii confessoris est regulariter loquendo monialibus permittere vel prohibere ad sacram mensam acces-

(1) Clemens X, constit. *Superna.*
(2) S. C. Concilii 29 Nov. 1605.
(3) Concil. Trid. sess. XXV *De regul. et monial.*, cap. X.
(4) Sext. Decret. reg. juris 61.
(5) Alexander VIII, const. *Felici.*
(6) 17 Decemb. 1890.

sum; atque ad confessarios tantum spectat licentiam frequenter ac etiam quotidie communicandi denegare aut concedere. Soli denique sacerdoti in confessione sacramentali tenentur moniales, et mulieres quae vota simplicia nuncupant, cor et conscientiam intime manifestare.

Cappellani monialium, licet confessarii non sint, possunt eis administrare sacramenta, et aquam, cineres, ramos et candelas benedictas distribuere, atque earum exequias peragere, ac Missam de Sanctis, de quibus illae recitant officium, celebrare. Minime vero ingredi possunt monialium clausuram cappellani nec confessarii, ut ex repetitis Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium declarationibus constat, ad cellas aut alia loca aqua benedicta conspergendum, nec praetextu operarios, medicum, chirurgos, vel alios comitandi, neque ad Missam celebrandam.

Postremo tan confessarii quam cappellani nimiam cum monialibus familiaritatem devitent: expleto suo officio non amplius nisi gravi de causa ad monasteria decedant: rei familiaris administrationem arrogare nolint, nec gubernationem communitatis, nec regularum interpretationem, nec electionem officiorum. Moderatores spirituales monialibus crebro inculcent humilitatem, orationem et obedientiam, pacem ac concordiam, constitutionum particularium observantiam, vitae communis custodiam atque ut a saecularium personarum visitationibus et colloquio, nisi id rationabilis causa exigat, abstineant.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# TITULUS VI.

## DE REBUS ECCLESIASTICIS.

## CAPUT I.

### De Ecclesiae jure acquirendi et possidendi atque administrandi.

Rerum temporalium dominii Ecclesiam natura sua esse capacem, ac jus habere tum mobilia tum immobilia bona possidendi, liquido constat, et clarissimo in lumine a postremo Compostellano provinciali Concilio fuit positum. Quod jus primis jam christianis saeculis exercitum esse, ac praeter oblationes et decimas praediis et aliis hujusmodi bonis fuisse potitam Ecclesiam, vel ex eo patet, quod edicto anno Domini trecentesimo decimo tertio a Constantino Magno promulgato jussum sit "omnia quae ad Ecclesiam recte fuerint visa pertinere, sive domus aut possessio sit, sive agri, sive horti, sive quaecumque alia restitui„.

Hanc doctrinam populum fidelem animarum pastores doceant, ne a seductoribus hominibus decipiatur; bonaque parochialia, quae in posterum forsit a fidelibus donentur, vel reservata fuerunt, aut excepta a cessione Gubernio facta, pro virili portione tueri studeant, vel coram ipsis tribunalibus, dummodo tamen id expedire Episcopo visum fuerit, qui stuatim certior faciendus de omni, quod in Ecclesiae bonorum detrimentum et ab auctoritate civili et a privatis fiat.

Quae acquirit et possidet Ecclesia, ejus solius est

administrare, utpote quae sola est legitima domina suorum bonorum: administratio enim sponte sua dominium consequitur. Apostoli fidelium oblationes per semetipsos primum, et per septem postea diaconos distribuebant. Summi Pontifices et Concilia ut sacram semper habuere rectam per Ecclesiam ejus bonorum administrationem, quin ullum hac super re strictum jus in laicis admittant.

Primi post Papam, ut ex sacris canonibus patet, bonorum Ecclesiae administratores sunt Episcopi, qui juxta antiquam disciplinam, reditus ecclesiasticos totius dioecesis in commune Ecclesiae principis aerarium conflatos procurabant. Quamvis autem lapsu temporis, propter beneficiorum institutionem, liberius Deo vacandi gratia, rerum temporalium Ecclesiae immediatam curam reliquerint, eorum auctoritati subjacent omnes bonorum ecclesiasticorum administratores, qui "singulis annis tenentur reddere rationem administrationis Ordinario„ (1).

Parochi computationem cultus apprime rectissime ordinent: pecuniae aceptae et expensae rationem accurate et fidelissime in libro describant ad archipresbiterum vel ejus delegatum sacerdotem quotannis in examen deferendo: si de majoribus summis agatur, syngraphum nummorum acceptorum et rei traditae exigant et custodiant, quem ipsi libro adjungant: denique extraordinarios fabricae sumptus nonnisi de Episcopi faciant licentia, dummodo summa impendenda excedat ducentos nummos argenteos regales *(50 pesetas)*.

---

(1) Conc. Trid. sess. XXII, cap. IX *De reformat.*

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

## CAPUT II.

**De reditibus cruciatae et indultus procurandis.**

Episcopi, in sua quisque dioecesi, primi sunt bonorum cruciatae et indultus administratores, quin ullum jus in hoc laici habeant. Cum haec bona magna ex parte Ecclesiae paupertati subveniendae in expensas divini cultus dicentur, per charitatem Christi iterum ac centies magnopere ex animarum curatoribus petimus, ut omni qua possint contentione studeant ab omnibus fidelibus cruciatae et indultus accipi summaria.

Archipresbyteri munus habent bullas in parochos dioecesis distribuendi, quas ab administratore cruciatae, a Nobis designato, per veredarios suscipient. Singulis annis, mense Junii, cruciatae administratorem certiorem faciant de summariis cujusque classis, quae necessaria ad annum existimaverint pro suo quisque archipresbyteratu. Duobus mensibus infra diem paschatis resurrectionis Domini, sua subscriptione munitum apographum mittent syngrapharum, quibus parochi summaria accepta declarent; ut, ejus habita ratione, administrator pro unaquaque parochia privatim computationem faciat. Si quis parochus, vel nulla summaria, vel suis fidelibus non sufficientia sumpserit, archipresbyter id Nobis statim notum faciat; in primo vero casu et si tempus urgeat, iste bullas distribuendi in parochia munus tradat coadjutori vel alteri sacerdoti in ea habitanti; quibus non existentibus, id agendum suscipere poterit laicus, quem, omnibus adjunctis ad trutinam revocatis, aptum archipresbyter censuerit, quin idcirco ad Nos referre praetermittat. Quum, bullis acceptis et distributis, sed

earum eleemosynis administratori nondum traditis, parochus vel oeconomus diem supremum obeat, vel e parochia translatus sit, archipresbyter rationem instituat cum haeredibus defuncti, vel cum sacerdote exeunte, adeo ut administratori plene satisfiat.

Parochi tenentur bullas in subditos distribuere: ea gratia necessarias sumant in domo archipresbyteri, acceptarum syngraphum tradentes.

Summaria, quae superfuerint, intra tres menses ab insequenti promulgatione administratori reddant; quod si per archipresbyterum faciant, ab eo poscant syngrapham summariorum cujusque classis aceptorum, quam administratori exhibeant.

Operae pretium est, ut ante ultimam Junii diem administratori eleemosynarum summam bullis anno superiori distributis respondentem parochi persolvant.

Administrator quinque centesimas argentei regalis partes pro unoquoque summario distributo pendet, tres nempe parocho et duas archipresbytero.

Parochi, ratione distributionis bullarum, iisdem privilegiis, a Gubernio civili concessis, gaudent, ac vectigalium exactores, nam reditus cruciatae reditibus aerarii publici aequiparantur.

## CAPUT III.

### De ecclesiastica immunitate.

Quoniam clerici praecipuam atque honestiorem Ecclesiae partem constituunt et omni sunt veneratione habendi, rationi consentaneum est, ut ab aliquibus communibus eximantur oneribus, quae vel aliquam vilitatem annexam habent juxta vulgarem existimationem, vel statum clericalem haud multum decent: id genus sunt munera municipalia, ut repa-

ratio pontium et viarum; militaria, ut militum necessaria receptio; curialia, ut tutela et curatela.

Eam ipsam ob rem clerici a foro laicali excipiuntur in causis tum civilibus tum criminalibus; atque excommunicationem speciali modo Papae reservatam incurrunt cogentes sive directe sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones. Siquidem in Hispania per Christi Vicarium fori privilegium nondum derogatum fuit, nullus praesumat clericos trahere ad judicem laicum, quin a Nobis necessariam prius postulaverit veniam.

Ecclesiastica haec immunitas non a jure civili, sed ab ipsa ministerii sacri natura ortum habuit, adeo ut vetitum optima de causa, a Pio Papa IX fuerit (1) affirmare ecclesiasticum forum omnino de medio tollendum, etiam in consulta et reclamante Apostolica Sede, posseque, id postulante civili progressu maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta, absque ulla naturalis juris et aequitatis violatione abrogari personalem immunitatem, qua clerici ab onere subeundo exercendoque militiae eximuntur.

Pariter propter summam, qua sunt prosequenda, reverentiam, ecclesiae, coemeteria et cetera loca sacra, aliqua in eis prohibita sunt peragi secundum se quidem minime illicita, quae sacerdotes, speculatores domus Israel impedire animo connitantur et labore contendant; ejusmodi sunt: "universitatum et societatum quarumlibet concilia, conciones et publica parlamenta..... negotiationes, et praecipue nundinarum ac fori cujuscumque tumultus, et omnis saecularium judiciorum strepitus (2), ludi theatrales et ludibriorum spectacula (3) supellectilium in

(1) Prop. XXXI Syllabi.
(2) Sext. Decret. l. III, t. XXIII, cap. XII.
(3) Decret., l. III, t. I, cap. XII.

ecclesiis admissio, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes ad eas oporteat haberi refugium, sic tamen, ut necessitate cessante, res in loca pristina reportentur (1)„.

Constituitur etiam in jure canonico "ut in domibus ecclesiarum neque missus, neque comes, vel judex publicus aut minister placitum vel hospitium vendicent„ (2). Decretum praeterea fuit olim, ut "reus criminis ad ecclesiam fugiens non sit violenter ab ea extrahendus, nec debeat amplius praetextu criminis commissi damnari ad mortem, vel ad aliam poenam corporalem„ (3).

Ex eo tandem quod laici nullam jurisdictionem super matrem Ecclesiam habeant, sponte fluit ejus bona natura sua immunia esse a communibus tributis: quapropter in jure (4) declaratum fuit non licere iis qui auctoritatem temporalem obtinent vel justitiam exercent "collectas seu exactiones quascumque ecclesiis, vel personis ecclesiasticis, imponere, vel exigere ab eisdem pro domibus, praediis, vel quibuscumque possessionibus ab eisdem ecclesiis vel personis ecclesiasticis hactenus legitime acquisitis, vel in posterum acquirendis„.

## CAPUT IV.

### De adimpletione piarum voluntatum.

Non tantum acquirendi et possidendi jus habet Ecclesia, sed ad eam etiam attinet munus vigilandi circa illa quae ad pias fundationes pertinent, ne

---

(1) Decret. l. III, t. XLIV, cap. II.
(2) Decret. l. III, t. XLIX, cap. I.
(3) Decret. l. III, t. XLIX, cap. VI.
(4) Sext. Decret, l. III, t. XXIII, cap. I.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

fundatoris voluntas fraudetur: a Concilio enim Tridentino constitutum fuit, ut "Episcopi etiam tanquam Apostolicae Sedis delegati in casibus a jure concessis omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos, sint executores;..... ac omnia, quae ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo juxta sacrorum canonum statuta cognoscant„ (1).

Praecipimus itaque, ut, dum aliquod legatum in Ecclesiae gratiam cum onere spirituali sit instituendum, vel cappellania, aut solemnitas anniversaria fundanda, ad Nos recurratur, qui ad normam sacrorum canonum et ipsarum legum civilium quod magis ad Ecclesiae utilitatem expediat super ratione fundationis exequendae decernemus, etiam fundatoris voluntatem in dubio interpretando.

Nullus parochus, nec quilibet alius sacerdos saecularis ad longum tempus Missarum onus suscipiat, nisi nostram aut Vicarii Generalis licentiam in scriptis obtinuerit. Nam in Urbani VIII decretis, ab Innocentio XII confirmatis, statuitur, ait Benedictus XIV, "ne cui liceat acceptare onera perpetua Missarum, antequam ab Episcopo praehabitum fuerit diligens opportunarum rerum examen, ad hoc, ut novorum onerum implementum in tuto collocetur„ (2).

Quamvis ad Missarum reductionem vel condonationem justa intercedere causa videatur, ut, ex gratia, stipendii tenuitas olim assignati, vel currentis augmentum, vel majores ad victum expensae faciendae vel fabricae ecclesiae necessitas, vel fundationis redituum diminutio, nullus omnino sacerdos privata auctoritate quoquomodo reducere celebrandarum Missarum onera praesumat: "sed pro his omnibus

(1) Sess. XXII, cap. VIII *De reformat.*
(2) *De Synodo*, l. XIII, cap. ult., n. 10.

reducendis„—praecipit Urbanus VIII—"aut moderandis, aut commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur, quae, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur. Alioquin reductiones, moderationes et commutationes hujusmodi omnino nullae atque inanes erunt„ (1). Licet autem Nobis per Summi Pontificis benignitatem ejus nomine ac justa de causa Missarum onera reducere.

Documenta fundationum, quas avita majorum religio constituit, vel diligentissime custodiantur. De his quae in posterum institui contigerit, ad normam instrumenti a nostra curia descripti, aliud conficietur, in tabulario ecclesiae parochialis caute servandum.

Quod a provinciali Mediolanensi Concilio V, atque a Clemente Papa XI fuit constitutum, et a Benedicto XIV approbatum (2), hoc in nostra dioecesi sedulo observetur, ut nempe index conficiatur, seu tabella distinctim annotata, perpetua et temporalia Missarum onera praeferens, et testamentum aut alterum legalem actum a pio testatore exaratum indicans una cum designatione ecclesiae in qua peragenda sacra, necnon numeri Missarum, ac temporis quo sint celebrandae.

Hanc tabellam in sacristia pendere volumus, ut ecclesiae administrator eam prae oculis habens, piorum donantium voluntates fidelissime adimpleat: libellum etiam habeat qui cum tabella conferatur, ut celebrata et applicata sacrificia ac cetera onera adimpleta annotet, quo certo constare possit fundatorum dispositionibus integre satisfieri.

Ad praescripti in novissimo Compostellano Concilio normam bona piis oneribus gravata parochi

---

(1) Constit. XLV.
(2) *De Synodo*, l. XIII, cap. ult., n. 4.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

perquirant; eorum possessores, ut suo quisque debito satisfaciat, prudenter urgeant; ac de investigationis exitu Episcopum certiorem faciant.

Denique moneantur omnes, super quorum bona pia onera persolvenda sunt fundata, ut ea redimant in ecclesiastica curia ad normam solemnis conventionis Gubernium inter ac Sedem Apostolicam initae.

## CAPUT V.

### De usurpatoribus bonorum Ecclesiae.

Quum pleno jure, uti supra fuit dictum, acquirendi et possidendi praedita sit Ecclesia, quumque plurimis justissimisque titulis bona sua pepererit, gravissimae injustitiae crimine obstringuntur, qui ea sive mobilia sive immobilia quolibet pretextu usurpant: horrendi etiam sacrilegii scelus admittunt; id enim genus opes Deo sunt consecratae, et societati spirituali, Christi Ecclesiae, ad sanctum finem, videlicet, templorum refectionem, splendorem cultus, et sustentationem tum clericorum tum pauperum, traditae; quapropter fundum sacrum constituunt: ideo a Martino V Papa jussum fuit interrogari suspectos de haeresi Wiclefi: "Utrum credant, quod auferentes, tollentes, et invadentes bona ipsa ecclesiastica, sint tamquam sacrilegi habendi, etiamsi male viverent personae ecclesiasticae bona hujusmodi possidentes„.

Nihil itaque mirum, si Gregorius IX Pontifex Maximus decreverit invasores rerum ecclesiasticarum, quasi sacrilegos, esse anathemati, usque ad satisfactionem congruam, supponendos, "quod valde sit iniquum ea, quae collata sunt pro remedio peccatorum venerabilibus ecclesiis vel relicta, aut eis

justis aliis modis adquisita, aliis usibus applicari„ (1).

Hanc eamdem poenam Concilium Lugdunense statuit incurrere "universos et singulos, qui bona ecclesiarum, monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare praesumunt, quantaecumque dignitatis honore praefulgeant„.

Postremo in constitutione *Apostolicae Sedis* a Pio IX felicis recordationis edita excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici speciali modo reservatae subjacere declaratur (2) "usurpantes jurisdictionem, bona, et reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes„.

Quamvis vero hoc bullae articulo solum de usurpantibus et sequestratoribus sermo fiat, meridiano est jubare lucidius eamdem incurrere censuram, qui ab illis res Ecclesiae emunt; "minime dubitandum„— inquit Sancta Congregatio Sacrae Universalis Inquisitionis (3)—"quin ementes bona ecclesiastica ab usurpatoribus usurpata incidant in excommunicationem Romano Pontifici reservatam. Etenim praescindendo a quaestione, an supra dicta emptio aliquo modo attingatur a constitutione *Apostolicae Sedis*, nulli dubium esse potest, quin comprehendatur a clarissima dispositione Concilii Tridentini„.

Et re quidem vera, sacrosancta oecumenica Tridentina Synodus diserte eum constituit anathematis vinculo irretiri, donec restituerit, et a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit, qui "alicujus ecclesiae, seu cujusvis saecularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census, ac jura etiam feudalia

(1) Decret. lib. II, tit. II, cap. XVI.
(2) Art. XI.
(3) 8 Jul. 1874.

et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel per alios vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum, aut laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire, ne ab iis ad quos jure pertinent, percipiantur„ (1).

Ipsa civilia Gubernia ab hac lege non excipiuntur: etenim Ecclesia societas est perfecta atque independens, quae, sicut sol luna et anima corpore, longe superior existit societate temporali, a qua nonnisi per summum nefas bonis adquisitis privari potest. Solus Romanus Pontifex, utpote supremus bonorum Ecclesiae administrator, gravissimis de causis, injustas alienationes a potestate civili factas convalidare potest.

Qui igitur bona Ecclesiae numquam a Gubernio occupata, vel non permutata vi cum Sancta Sede initae conventionis, sacrilego prorsus conatu emere ausi fuerint, excommunicationis majoris poena plectuntur. Summa itaque cura elaborandum a parochis, ut istiusmodi fideles certiores fiant de miserrimo in quo versantur statu, usquedum absolutionem obtinuerint; eosque adhortentur, ut quamprimum ad nostram auctoritatem recurrant, ut de bonis retentis provideamus.

---

(1) Sess, XXII, cap, XI *De reform.*

## CAPUT VI.

### De ecclesiis.

PROPTER abusus et admodum gravia incommoda vitandum inhibetur de jure (1), ne ecclesiae absque dioecesanorum Episcoporum licentia construantur, neque in sic constructis, etiam tempore interdicti (casibus expressis in jure dumtaxat exceptis), celebrentur divina.

Parochiales ecclesiae refici et instaurari debent ex fructibus et proventibus quibuscumque ad easdem quomodocumque pertinentibus (2). Quoniam vero sponsa Christi, mater Ecclesia opulento suo patrimonio inique spoliata sit, Gubernium munus suscepit templa christiana reparandi: optandum autem esset, et a parochis ea, qua decet prudentia curandum, ut etiam fideles per eleemosynas paupertati Ecclesiae ea gratia subvenirent.

Quicumque quodlibet possidet beneficium, res ecclesiasticas ad idem attinentes jus habet administrandi: cum ergo parochus re ipsa veritatis suae ecclesiae beneficium obtineat, suum est ejusdem bona procurare, quin ullam hac super re facultatem laici habeant.

Universis et singulis ecclesiarum rectoribus districte praecipimus, ut res propter materiam, vel artem, vel antiquitatem pretiosas caute et loco tuto custodiant. Caveant praesertim, furta vitandi ergo, ne sine justa causa hujusmodi sacras supellectiles mercatoribus rerum antiquarum, vel optimarum artium cultoribus ostendant.

Alienare clericis non licet "pretiosa mobilia Deo

---

(1) Sext. Decret. lib. V, tit. VII, cap. IV.
(2) Concil. Trid. sess. XXI, cap. VII, *De reformat.*

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

dicata„ (1); neque rem immobilem Ecclesiae: "alienationis, autem verbum continet conditionem, donationem, venditionem, permutationem, et emphyteuticum perpetuum contractum„ (2). Proinde nisi de rebus vere parvi momenti agatur, parochi res ecclesiae minime vendere praesumant: ad id Episcopus consulendus, qui de causis canonicis ad venditionem requisitis judicet et propria vel ab Apostolica Sede obtenta facultate necessariam veniam concedat.

## CAPUT VII.

### De capellis publicis privatisque oratoriis.

Capellae publicae ea loca sunt, quae divino cultui in perpetuum dicantur, et portam correspondentem in publicum, liberumque ingressum et egressum habent. Iisdem ac ecclesiae gaudent privilegiis; et quae de ecclesiis dicuntur de istiusmodi locis intelligi debent.

Parochorum est, generatim loquendo, eleemosynas administrare in capellis seu oratoriis publicis collectas: iidem tenentur ea frequenter adire, praecipue dum aliqua solemnitas sit celebranda, ut omnia rite juxta sacras rubricas fiant.

Oratoria privata seu domestica erigere ad sacrum faciendum sine Sanctae Sedis venia minime licet: attendendum sedulo est de tenore indulti pontificii, ut omnes conditiones atque exceptiones in eo contentae ad perpendiculum exsequantur. Episcopi licentia opus est, ut baptismus, poenitentia, matrimonium et Eucharistia in oratoriis privatis administrari possint.

---

(1) Extrav. Comm. lib. III, tit. IV, cap. unic.
(2) Decret. lib. III, tit. XIII, cap. V.

Parochi visitationi subjecta non sunt oratoria domestica: attamen, ubi interrogati fuerint, vel opus esse cognoverint, eos, qui hoc privilegio gaudent, doceant et explicent textum indulti, monendo imprimis neminem praeter illos in brevi apostolico designatos satisfacere praecepto Ecclesiae, Missam audiendo in oratorio privato; denique, si quid parochi corrigendum sciverint in aliquo ex istiusmodi oratoriis, rem ad Episcopum deferant.

## CAPUT VIII.

### De domibus parochialibus.

Rebus ecclesiae annumerari debet domus presbyteralis, in qua parochi et oeconomi habitare tenentur.

Simul atque sacerdos suae ecclesiae possessionem sumat, domus rectoralis rerumque ad eam pertinentium inventarium efformet, illius statum clare notando atque ea, si quae sint, ab antecessore reclamanda; quod ab archipresbytero et aliis duobus testibus obsignetur.

Ad conservationem et reparationem domus parochialis, rationi consentaneum est atque ab ultimo Compostellano Concilio sancitum, ut aliquam pecuniae summam, ad instar contributionis vel habitationis pretii, parochi annuatim impendant.

Inspectores annuatim domus parochiales visitent, et dum aliquod reficiendum cognoverint, parochos urgeant ad opera actutum peragenda: quippe damna levia confestim reparari oportet, ad graviora vitandum, ne alioquin magni momenti sumptus necessario fieri debeant.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

## CAPUT IX.

### De coemeteriis catholicis.

Locum, in quo diem resurrectionis spectant corpora, quae fuerunt Christi membra, et organa Spiritus Sancti ad bona opera exsequenda, et carne et sanguine Domini cibata, sacrum esse ac penitus inviolabilem, hoc nemo nisi caecus non discernit. Semper velut pars ecclesiae habitus est, iisdemque privilegiis et exemptionibus cumulatus: ab Episcopo vel ejus delegato benedicitur, et ob crucem Christi, in altum erectam, a profanis locis discriminatur: magna igitur reverentia eum locum vulgo *campo santo* nuncupatum fideles prosequi debent, et hanc rem parochi antiquissimam habeant, ut exquisitius quae de illo Rituale Romanum praecipit, exsequantur.

Coemeteria extrui oportet, habita licentia Episcopi, ecclesiae expensis vel etiam paroecorum spontaneis oblationibus: quamvis tamen a municipali potestate construantur, semper ecclesiasticae subsunt jurisdictioni, et a parocho vel sacerdote, cui coemeterii est cura demandata, clavis custodienda, adeo ut, ea non tradita, benedictionem impertiri non liceat.

Consequitur natura, ex eo, quod coemeterium sit locus ecclesiasticus, ecclesiasticae tantummodo auctoritati competere jus declarandi, quinam sint in eo sepeliendi.

"Sacris est canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, nec communicemus defunctis; et ut careant ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab ecclesiastica unitate praecisi, nec in articu-

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

lo mortis Ecclesiae reconciliati fuerint„ (1). Ideo sepultura sacra sunt privandi, qui ad Ecclesiam numquam pertinuere, vel ab ea sunt sponte et manifeste separati, aut anathematis vi publice expulsi.

Ecclesiastica sepultura sunt etiam indigni, qui impoenitentes ex hac vita migrarunt: non sunt tamen ab ea arcendi qui aliquod vel minimum poenitentiae signum dederint: requiritur praetereà ut delictum sit certum ac notorium, adeo ut sepultura sine fidelium scandalo dari non possit; non sufficit proinde, ut parochus privatim, etiam si evidenter, sciat impoenitentiam defuncti.

Extraordinariam hac super re severitatem in duellantes justissime adhibet Ecclesia: a Benedicto XIV decretum fuit (2) "sepulturae sacrae privationem a sacrosancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli et conflictus, incurrendam perpetuo fore etiam ante sententiam judicis a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto; ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta poenitentiae signa dederit, atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit„.

Quum ecclesiasticae sepulturae denegatio poena sit eaque gravissima, "si dubium occurrat, an infligenda sit, consulatur Ordinarius„ (3), eum certiorem faciendo simul de vita et moribus defuncti; vel archipresbyter, si casus urgeat. Quod si ne id quidem fieri queat, coemeterio catholico cadaver mandetur, quoniam (4) "odia restringi convenit„, et gravissima incommoda ex sepulturae denegatione ut plurimum provenientia, dummodo fieri queat, sunt vitanda.

Ejusmodi incommodorum habita ratione, parochi urgeant auctoritates municipales, ut juxta a Gu-

---

(1) Decret. lib. III, tit. XXVIII, cap. XII.
(2) Constit. *Detestabilem* 10 Nov. 1752.
(3) Rit. Rom. *De exseq.*
(4) Sext. Decret. *De regulis juris* reg. 15.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

bernio praescripta (1), vel aliud coemeterium pro acatholicis extruatur, vel ecclesiastico adjungatur locus non benedictus et muro separatus, pro iis quibus sacra sepultura denegetur.

Si parochus impedire nequiret sepulturam indigni in loco sacro, "neque per se neque per alios sacerdotes ad exequias et ad sepulturam ullo modo concurrant„ (2). Deinde rem ad Nos vel ad nostrum Vicarium Generalem deferant: si interea loci aliquis in coemeterio catholico humari debeat, ejus sepultura speciatim benedicatur.

Coemeterium non polluitur per sepulturam cujusvis indigni, sed tantum infidelis, haeretici denuntiati, excommunicati vitandi, notorii percussoris clerici, aut ejus, qui in duello occisus est: hoc infausto casu eveniente, parochus ad Ordinarium extemplo recurrat ad obtinendam licentiam coemeterium reconciliandi: sepultura autem indigni muro sepiatur, donec transacto tempore a lege civili praefinito, cadaver exhumetur, et in coemeterium civile transferatur: si aliquis catholicus coemeterio publice polluto et nondum reconciliato inhumari debeat, parochus, postquam officium sepulturae canat, cadaver ad coemeterium non comitet.

Nequaquam committendum, ut cadaver catholici non indigni humetur in coemeterio profano, quod vel ipsae leges civiles prohibent. Denique meminerint parochi, et doceant populum fidelem, quando id pro sua prudentia expedire judicarint, illicitum esse nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera, neque "mandare, ut sua aliorumve cadavera comburantur„ (3).

---

(1) R. O. 28 Febr. 1872.
(2) S. C. Poenitent. 10 Decemb. 1860.
(3) S. C. Supr. et Univ. Inquis. feria *IV*, die 19 Maji 1886.

# CAPUT X.

## De hospitalibus aliisque beneficentiae domibus.

JAM inde a suis incunabulis Ecclesia maternis visceribus fidelium necessitatibus occurrere pro posse sategit. Apostoli pretia eorum, quae vendebant possessores agrorum, aut domorum dividebant singulis, prout cuique opus erat, adeo ut neque quisquam egenus esset inter illos (1). Crescente autem numero discipulorum, ad succurrendum viduis et ministrandum mensis, electi fuerunt viri boni testimonii septem, pleni Spiritu Sancto et sapientia (2).

Cum vero patrimonium Ecclesiae pietate fidelium creverit, quarta pars proventuum ejus pauperibus fuit destinata, quam per domus diaconi egenis distribuebant: pace autem Ecclesiae data, quamplura Episcopi hospitalia seu beneficentiae domus erexerunt pro orphanis educandis, pueris expositis instituendis, senibus alendis, aegrotantibus sanandis, pauperibus succurrendis, et peregrinis excipiendis.

De his locis, nisi exempta vel sub Regum immediata protectione fuerint, constituitur in jure (3), ut "per sollicitudinem Episcoporum, in quorum dioecesi existunt, ad easdem utilitates, quibus institutae sunt, ordinentur„.

Verum enimvero, quoniam, luctuosis hisce temporibus, Ecclesia miserrime suis bonis expoliata, fere omnes misericordiae domus administrationi subjacent saeculari, reliquum est, ut capellani ab Episcopo approbati, et pro his domibus electi, patris ins-

(1) Act. Apost. IV-34 et 35.
(2) Id. VI.
(3) Decret. lib. III, tit. XXXVI, cap. III.

tar ferventi dilectione fideles, quibus sunt, afficiant, et magno illis sint solatio: pueros edoceant, rudes instruant, aegrotos invisant frequenter, et cum infirmis in ultimo agone constitutis omnem curam adhibeant.

Jus habent beneficentiae capellani infirmis ministrandi sacramenta poenitentiae, Eucharistiae, atque extremae unctionis, et parvulis expositis baptismum: illis etiam competit officium sepulturae eorum, qui domi, cui praeficiuntur, sunt defuncti.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# TITULUS VII.

## DE FORO ECCLESIASTICO.

### CAPUT I.

#### De privilegio fori.

PRIVILEGIA quae non tam personis quam statui conferuntur, a nemine, prout libuerit, renuntiari posse, omnibus compertum est; et, quod ad fori privilegium clericorum attinet, ab Innocentio III (1) expresse sancitum.

Ideo in hoc maxime ab omnibus clericis incumbendum, ut hanc personarum ecclesiasticarum tueantur immunitatem, quam, non minus ac Ecclesiae, *Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam*, Tridentina Synodus (2) affirmat; et S. P. Pius IX in bulla *Apostolicae Sedis* sub poena excommunicationis latae sententiae spec i ali modo R. Pontifici reservatae, defendit.

Ut ergo haec personalis immunitas in nostra dioecesi, sarta tectaque ab omnibus, quantum in clericis sit, servetur, sancimus et sub poena suspensionis, pro beneplaciti nostri tempore, ab omnibus clericis ipso facto incurrenda, interdicimus:

I. Nullus clericus clericum unquam, neque sub quolibet praetextu, apud judicem laicum conveniat; neque laicum sine Ordinarii licentia, quam,

(1) Tit. 12 *De foro comp.*, cap. *Si diligenti.....*
(2) Sess. XXV, cap. XX *De reform.*

praeter casus in jure canonico expressos, non obtineat, donec spes affulgeat rem componendi, sive per judicis ecclesiastici arbitralem sententiam, sive per amicabile dictamen clerici vel laici arbitri a partibus designati; neque cujuscumque ordinis civilis, quae auctoritatem exerceat, personam, Ordinario inconsulto, adeat, nisi pro detinenda persona absolute necessarium fuerit; tuncque, factum, ipsa die qua civili, auctoritati ecclesiasticae communicabit.

II. Omnis clericus qui habeat cum alio clerico rem, cujus cognitionem lex civilis judici laico tribuat, coram judice ecclesiastico se sistere tenetur, et apud illum contradicentem clericum convenire; ita ut, vel in actu conciliationis negotium finiatur, vel necessario compromissum ab utraque parte solemniter subscribatur, standi seu ad arbitrorum amicabile dictamen, seu ad Vicarii Generalis unicam sententiam, seu saltem ad secundam cujuslibet auditoris Rotae hispanicae, jam in compromisso partium electi, vel a decano hujus tribunalis eligendi.

Praeterea ne obliviscantur clerici quod si tamquam rei coram judice laico appareant, neque vocati attestationem emittant, vel quemquam alium actum judicialem exerceant, nisi prius de incompetentia judicis laici, ob praedictum *fori privilegium*, deque clerici involuntaria coram tali judice praesentia, protestationem comiter praemittant.

## CAPUT II.

### De judice ecclesiastico

I. PROVISOR seu Vicarius Generalis, qui simul ac creatus fuerit, juramentumque *de munere fideliter exercendo* emiserit, relatam a Concilio Compostella-

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

no jurisdictionem (1) habet, ut expedire definireque valeat negotium quodlibet a Nobis reservatum satis superque erit ut ita a Nobis sit decretum: *Transeat ad tribunal, vel ad nostrum Vicarium Generalem.*

II. Praeter eximias illas quibus, juxta sacros canones, praeditus esse debet, qualitates, et summario in ultimo Compost. Concilio (2) recensentur; in jure civili versatus esse debet, vel saltem illius processuum leges et regulas optime calleat; non certe ut secundum earum praecepta semper lites, tamquam caecus pedisequus, dirigat, cum in judicio ecclesiastico canonicum jus norma sit oportet; sed ut, canonico fidelissime servato, civili inutiliter non offendat, praesertim ubi tamquam arbiter lites finire debeat, tum quia procuratores et advocati non pauci hoc jure canonico perfectius agnoscunt; tum praecipue ne, sub innecessariae laesionis praetextu, occasionem praebeat intromissionibus judicum vel tribunalium laicorum, damnatae appellationi *ab abusu* dictae, protectionis recursui, aut aliis hujusmodi, a quibus summopere cavere debet ecclesiasticus judex, ob personale damnum ex his proveniens, et maxime ob periculum laedendi clericalem immunitatem, cujus semper strenuus debet esse custos.

III. Naturam et quidditatem causarum, quomodolibet pendentium, diligenter perpendat, ut unicuique proprium imprimat processum; dilationes sumptusque inutiles sedulo vitet, ita ut jus partium fideliter servetur, et causae omnes celeriter, simul ac juste finiantur.

IV. In medio bilancis semper positus, timorem pariter et amorem, cupiditatem et odium fugiat; ut unicuique suum jus, prout ex allegatis et probatis eruatur, tribuat; commendationibus valedicat; per-

(1) Tit. VII, cap. I.
(2) Tit. VII, cap. I.

sonas non respiciat, nec privatam notitiam; munera, *quae etiam excecant prudentes* (1), constanter recuset.

V. In delictis tam disciplinariter, quam summario aut ordinario processu, coercendis, prae oculis habeat perlucidam *Instructionem S. C. Episc. et Reg. 11 Junii 1880* ad calcem (2) transcribendam, in qua processus canonici disciplinaris ac summarii compendiose continetur: primas inobedientias et irreverentias illa pecuniae quantitate puniat, quae unius saltem diei stipendium adaequet, et a stipendio hebdomadae non excedat: sedulo praeterea invigilet ut librum habeat notarius, in quo, statim ac sanciuntur, mulctae conscribantur; et quotannis canonico mulctarum depositario tribuantur (3), quin umquam ad commodum personae, directe vel indirecte, deserviant.

VI. Librum etiam ipse habeat, secretumque custodiat, in quo adnotentur poenae, correctiones et admonitiones clericis factae; ut rite ad processum deveniant, cum adversus aliquem agatur: numquamque adversus clericum sententiam pronuntiet, quin prius Episcopum interroget de rei antecedentibus poenalibus, ut per haec, illa etiam accurate perpendat.

VII. Antequam adversus aliquem ex officio procedat, summarias informationes vel ipse recipiat, vel archipresbytero, aut alio sacerdoti discreto et probo committat, praevia semper fiscalis citatione: curetque diligenter ut simplices sint et apertae interrogationes, et fideliter scribantur; ut fiant compulsae, et omnia incidentia cum minore temporis jactura evacuentur; ideo quod summarium basis sit et fundamentum totius processus.

(1) Exod. XXIII-8.
(2) Vide append.
(3) S. C. Episcop. et Regular. 5 Febr. 1678.

VIII. Attendat etiam discrete, tum ut ea, quae juris sunt, opportune suppleantur; tum ne, quae facti sunt, omissiones insinuet, praeter casus in jure expressos, unde damnum eveniat alicui partium.

IX. In causis quae matrimonii vinculum afficiunt, sicut et quae professionem religionis, si advocatus, qui utriusque firmitatem indeclinabiliter deffendat, non existit, vel ut a Nobis nominetur judex postulet, vel clericum idoneum ipse eligat, ita ut sine illius interventu nihil agat, juxta Benedicti XIV praescripta (1). Laboris mercedem uterque recipiat, vel a damnato ad sumptus, si adsit, vel ab utraque parte pro rata laboris, perinde ac fiscalis.

X. Cum ad judicium inchoandum actus praecedere debeat conciliationis, prout in Conc. Compost. fuit praescriptum (2), cumque valde sint diversa munera conciliatoris et judicis; ille enim rem summarissime et bona fide cognoscere debet, et omnia tentare media suasionibus, commendationibus, amicorum rogationibus, necnon et periculum perpendendo amittendi causam, si ad juris tramitem defferatur, ut ad concordiam partium deveniatur; quin de illarum jure stricto interroget, vel definiat; et judex e contra liber sit oporteat ab omni praeconcepto judicio, ut per apices juris, juxta allegata et probata, suum cuique tribuat; quin ante sententiam sui mentem aperiat; alius debet esse judex et alius conciliator. Ideo praecipimus ut, donec conciliatores regionarii nominentur, Vicarius Generalis in unoquoque casu, clericum conciliatorem designet, quem aptiorem ad tale munus inveniat. Hic acta apud illum subscribat, perinde ac attestationes, quae partibus, si petierint, aut judici, dari debeant.

XI. Stipendiorum syllabus, qui ad calcem (3)

---

(1) Const. *Dei miseratione* et *Si datam hominibus fidem*.
(2) Tit. VII, cap. I.
(3) Vid. append......

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

inseritur, nec ipse excedat, nec ab alio excedi sinat; curetque semper et in omnibus ut, quicumque intra suum tribunal quodlibet munus exerceant, intra ejusdem limites contineantur.

## CAPUT III.

### De advocato fiscali.

I. SIMILLIMIS cum Provisore qualitatibus fiscalem ornatum decet, tum quoad juris peritiam, tum quoad morum integritatem virtutisque cultum; cum illius sit in dioecesi legis imperium, Ecclesiae ac cleri jura nostraque tueri, simul ac clericalem observantiam et populi bonos promovere mores.

II. Ministerium suum exerceat in casibus a Conc. Compostell. (1) expressis; et in omnibus sic agat ut, quacumque humana affectione postposita, pro jure semper certet, tam si vocatus appareat, quam si actionem judicialem aut pastoralem postulare aut instare oporteat.

III. In beneficialibus quae jurispatronatus sint, totam mentem adhibeat ac serio cogitet, ne particulares ecclesiae non sat probatam servitutem patiantur: quod ut obtineat, non acquiescat cum patronatus in actis probatus appareat; sed quaerat etiam, et a judice exprimi curet, num realis sit vel personalis, si viris aut feminis, agnatis vel cognatis, etc., in limine fundationis jus fuerit tributum; cum compertum sit unum facilius prae alio extingui posse; et fiscalis libertatis ecclesiarum jurisque ordinarii advocatus esse debeat.

IV. In omnibus et semper, sed maxime in criminalibus et disciplinariis correctionibus, infractam

---

(1) Tit. VII, cap. II.

animi fortitudinem una cum magna comitate, ostendat oportet; ut clericorum vitam juxta prudentiae ac charitatis leges, et populi mores invigilet, et verisimili famae aures praebeat; nuncque accuset, nunc denunciet, aut apellationes aut querelas, si opportunum fuerit, interponat.

V. Conciliationis actibus non intersit; adsit autem informationibus summariis, ubi de delicto agitur, et testium depositionibus, in eisque interroget et iteret, data opportunitate; adsit etiam omnibus illis actibus in quibus non tantum verba, sed et gestus et modi perpendi oporteat. In dissitis locis, si citatus assistere nequeat, nullusque ibi regionarius fiscalis praenominatus existat, clericus, qui magis idoneus inveniatur, ab Ordinario designabitur, singulo quoque casu, ut fiscalis vices gerat.

VI. Qualitates quibus advocati et procuratores fori ecclesiastici elucere debent, prae oculis habeat, opportunasque recusationes proponat, aut informationem canonice procedentem, post partes recusationem, emittat.

VII. Laboris sui stipendium (quod, una cum rubrica omnes consignare debent, ut valeat) juxta syllabum in calce (1) ponendum, nec ipse excedat, nec ab alio excedi, sine animadversione, permittat.

## CAPUT IV.

### De advocatis et procuratoribus.

I. Ut quis in nostra dioecesi advocati munus exercere valeat, licentiatus aut doctoris gradu in jure canonico sit insignitus, vel in civili et canonico in studiorum universitate hispana. Ornatus praete-

---

(1) Vid. append.....

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

rea sit, non secus ac procurator, fide orthodoxa, morum gravitate, probataque fama; et uterque studeat ut, quod suum sit, diligenter adimpleat, sub poenis in jure expressis.

II. Donec in nostra Chancellaria, advocatorum et procuratorum fori ecclesiastici tabularium constituamus, illorum munera fungant quicumque in proprio collegio civili sint inscripti, dummodo prima vice qua, coram Nobis, aut coram alio judice ordinario, aut delegato, hujus dioecesis, agant, fidei professionem emittant; atque etiam illam iterare teneantur, quotiescumque, rationabili causa interveniente, ad instantiam partis, aut ex officio, judex eam exigat.

## CAPUT V.

### De notariis.

I. Cum pro negotiis, quae nostro justitiae tribunali eveniunt, expediendis, unicus sufficiat notarius, qui major dicitur, aut dioecesis; hicque, ex Conc. Compostell. praescripto (1), pro certis causis ibi designatis, in sacris constitutus sit oporteat, nullus laicus notarius in causis ecclesiasticis nostrae dioecesis agat, a primo nominationis rescripto.

II. Clericus hujus dioecesis notarius major, in jure canonico, quantum fieri possit, sit insignitus, vel saltem in forensi praxi versatus, et canonicorum ac civilium legum, quae illam regulant, conscius; juramentum praemittat, munusque diligenter et fideliter exerceat, juxta praedicti Conc. Compostell. praescriptum (2).

(1) Tit. VII, cap. III.
(2) Loc. citat.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

III. Ne cum detrimento justitiae partiumque damno causarum expeditio differatur, diebus omnibus non feriatis, horis statutis (1), apud tribunal maneat; eodem die, aut saltem serius sequenti, quo quilibet scripto ad tribunal adit, illud Vicario Generali praebeat; eique unoquoque sabbato rationem reddat status causarum quae in pendenti sunt, quo servato temporis ordine earumque natura ad ipsarum expeditionem facilius deveniatur.

IV. Testium depositiones fideliter exaret, nihil addendo aut detrahendo minime adversae parti dicta testium aperiat, quin contra secretum inviolabiliter servet; neque directe aut indirecte, immediate vel mediate curam gerat negotiorum quae judicialiter vel etiam extrajudicialiter in nostro tribunali expedienda perficiendaque sunt.

V. Processus et acta civilia, criminalia et mista, praecepta et decreta quaecumque, omnia denique quae ex tribunali fuerint emanata, quaeque absoluta consummataque sint, per fasciculos in ordinem redacta, in fine uniuscujusque anni archivario diligenter tradat, sedulo asservanda (2), unde absque nostra aut Vicarii Generalis licentia non sunt deducenda. Illi vero processus nondum absoluti, eaque negotia quae adhuc sint in pendenti, seu finita non fuerint in officina tribunalis ubi notarius munus suum fungi debet, habeat ordinatim composita atque custodita, registrumque etiam ubi status causarum, dispositiones seu decreta aliaque notanda fideliter notentur.

VI. Pro labore et opera quam dabit in negotiis pauperibus expediendis nullum accipiet stipendium; quod si ad tribunal adeuntes, etiamsi pauperes non sint, non habeant autem unde solvere possint debi-

---

(1) Loc. citat.
(2) Ex litt. S. C. Concil. ad Episcop. Comen. 8 Decemb. 1626.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

tam stipendii summam, taxae, quae a Provisori seu Vicario Generali pro sua prudentia sit facienda omnino stet.

VII. Sint etiam in unaquaque regione vel archipresbyteratu clerici notarii, qui, intra territorium a Nobis praefinitum, officium exerceant. Hi juramentum praestent; peculiarem signum habeant, sicut habere debet notarius major; quod de notario majori in paragrapho IV dispositum est sedulo adimpleant; actibus conciliationis inexcusabiliter assistant; in eis gesta speciali libro fideliter transcribant; deque in libro contentis signatum testimonium, cum approbatione conciliatoris, partibus, quibus intersit, aut judici, quotiescumque petierint, tribuant.

VIII. Pro intimationibus aut notificationibus faciendis, vel hi notarii rogentur, vel tabellariorum officium adhibeatur juxta praescriptum in regula XIV decreti S. EE. et RR. Cong. 11 Junii 1880.

## CAPUT VI.

### De accusationibus, denuntiationibus et inquisitionibus.

TRIPLICEM illam, causas criminis in foro ecclesiastico inchoandi, viam, clerici prae oculis habeant, oportet, quam apposite Innocentius III (1) describit: *per accusationem,* videlicet, *quam legitima debet praecedere inscriptio,* et a qua generatim abhorrere debet clericus, ne magis videatur ad poenam, quam ad poenitentiam, delinquentis agere: *per denuntiationem, a charitativa monitione,* nisi prudentia contrarium suggerat, praeventam; quam exercere clerici, sicut et

(1) Dec. lib. V, tit. I, cap. *Qualiter et quando,* XXIV.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

laici, frecuentius quam videre est, tenentur; cum non indecorum sit, nec scandalo occasionem praebeat, quod clericus sit a judice ecclesiastico, juxta canonicas sanctiones, circumventus, vel potius a proprio Praelato paterne correctus; sed quod male moratus vivat impunitus: *per inquisitionem* denique, *clamosa insinuatione* supposita; de qua insinuatione, rumore scilicet et mala fama, si clericum attingat, et maxime curam animarum exercentem; conscium facere debent Ordinarium, non tantum advocatus fiscalis et archipresbyteri rurales; sed omnes clerici, atque etiam laici, juxta prudentiae et rectas Theologiae Moralis regulas. Omnibus igitur, Christifidelibus, ac praesertim clericis curam animarum exercentibus, praecipimus: tum, ne futile et inconsulto clericis delictum, vel clamosam insinuationem audeant imputare; tum etiam, ne sub fucatae misericordiae, vel quod alteri incumbat, praetextu, silentium teneant, statim ac certi sint, sive de clerico, post charitativam monitionem, a se vel ab alio factam, non ad meliorem frugem converso; sive de illius mala fama, quam, ad Ordinarium fuisse delatam, non constet. Videant etiam, num sufficiat *delatio occulta*, ut eam potius opportune adhibeant.

## CAPUT VII.

### De documentis.

Cum in negotiis ecclesiasticis majorem auctoritatem habeant acta ab Ecclesiae ministris confecta et litterae fidem facientes ab eisdem expeditae, quam ab aliis; cumque ipsi Ecclesiae injuria inferatur, si, dum de praedictis rebus agitur, instrumenta civilia suis praeferantur; ideo omnibus nostrae dioecesis clericis prohibemus, ne hujusmodi litteras de nati-

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

vitate, statu aut morte Christifidelium a judice laico vel alio, cui tabularium civile, vulgo *registro civil,* sit commissum, postulent, aut eas ab his expeditas, dum illis, pro matrimonio contrahendo vel quolibet ecclesiastico negotio in exitum perducendo, exhibentur, admittant. Hanc vero prohibitionem contravenientes parochum aut ecclesiasticum virum, cui praedictas litteras expediendi jus erat, indemnem efficient, atque poena pecuniaria, quae saltem unius diei stipendium adaequet et hebdomadae non superet, punientur.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# TITULUS VIII.

## DE POPULO CHRISTIANO.

### CAPUT I.

**De abstinentia.**

VIRTUS abstinentiae in omnibus fere sacris paginis laudata perhibetur. Quoniam jejunium ab Ecclesia est institutum ad reprimendas concupiscentias carnis, ideo illos cibos Ecclesia jejunantibus interdixit, qui et in comedendo maxime hominem ad venerea provocant. Hujusmodi autem sunt carnes animalium in terra nascentium et respirantium (1). Evidens est etiam, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obligat (2).

Pueri post septennium tenentur observare qualitatem ciborum ab Ecclesia praescriptam (3). Dispensati ad carnes vescendas pisces promiscere vetantur omnibus diebus jejunii per annum, necnon in quadragesimae dominicis.

Ob scandalum vitandum moneantur cupones de non ministranda carne proprio motu diebus vetitis: hospites vero qui legitime dispensati in diversorio cibis vescuntur ab Ecclesia pro illo tempore interdictis, ut in secreto loco illos edant, vel convictoribus se justa causa excusari significent, magnopere exoptamus.

---

(1) S. Thom. Summ. Theol p. III, q. 147, a. 8.
(2) Ex prop. XXXII ab Alexandro VII damn. fer. V, die 18 Mart. 1666.
(3) S. Poenit. 15 Mart. 1837.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

Antiqua sane est hujus dioeceseos consuetudo abstinentiae diebus porci pinguedine vescendi (1), a Pio Papa VI his verbis (2) declarata seu approbata: "Sanctissimus, attentis peculiaribus circumstantiis, benigne indulget, ut singuli indiscriminatim uti valeant adipe suilla omnibus omnino abstinentiae diebus, ne quadragesima quidem excepta, usque dum circumstantiae mutentur, contrariis non obstantibus.„

## CAPUT II.

### De sanctae cruciatae bulla.

LONGE ditissimos suos spirituales thesauros plena manu Apostolica Sedes in catholicam nostram Hispaniam profudit, amplissimum sanctae cruciatae diploma concedens. Hujus namque ratione, non pauca, aliter prohibita, tempore interdicti peragi; plurimae peneque innumerae indulgentiae lucrifieri; a fere omnibus reservatis casibus absolutio dari; vota, aliquibus exceptis, commutari; super bonis male habitis aut illicite retentis, ubi eorum dominus omnino ignoratur, compositio haberi; indulgentia plenaria per modum suffragii defunctis applicari; et carnes nisi aliquibus in diebus, edi possunt.

Quamvis itaque re veritatis nemo teneatur bullam suscipere, si ejus privilegiis perfrui non vult, vehementer tamen etiam atque etiam omnes Christifideles rogamus, ut nequaquam haec uberrima dona parvipendant, sed libenter suscipiant bullam *communem vivorum* tot tamque insignibus spiritualibus gratiis in animarum salutem cumulatam, necnon

(1) Constit. Synod. II, tit. XVII, lib. III.
(2) Die 20 Junii 1792.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

eam quae *de carne* vulgo nuncupatur, quaeque jejunium et abstinentiam magnopere mitigat.

Parochi omni qua possint solemnitate quotannis bullam promulgent: solita autem promulgationis in unaquaque parochia faciendae die adventante, ac pluries per annum, populo explicent privilegia, gratias et omnigena indulta in bulla contenta, quorum ignorantia abs dubio plurimum fit, ut multi a summariis accipiendis abstineant: doceant eleemosynam, juxta uniuscujusque dignitatem atque annuum reditum elargiendam, minime bullae pretium esse, quae super aurum et lapidem pretiosum est aestimabilior, sed charitatis opus ad facilius beneficia spiritualia impetranda, eamque in subsidium pauperum, in levamen nosocomiorum et aliarum domuum beneficentiae, atque in expensas ecclesiarum et divini cultus distribui.

Quadragesimalis indulti privilegiis nequeunt perfrui, qui una cum illo cruciatae summarium non acceperint. Neque pauperes et mercenarii, qui ab indulto sumendo excusentur, ejus gratiis uti possunt, nisi bullam cruciatae habeant; ita recentissime (1) a Commissario Generali declaratum fuit, qui Sede Apostolica consulta de hujusmodi sententia ab anteccessoribus suis edocta, responsum obtinuit: *Nihil esse innovandum.*

Ad parochos et confessarios spectat, paupertatis gradum et cetera adjuncta accurate perpendentes, quinam a bulla *de carne* accipienda eximuntur, judicare. Quoniam vero sic exigua est eleemosyna praestanda, et quoties privilegiis indultus pauperes utuntur, *Pater* et *Ave* recitare tenentur, non oportet sacerdotes nimis faciles sese praebere in fidelibus eximendis ab indultus quadragesimalis summaria accipiendo.

(1) 19 Nov. 1890.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

Sacerdotes sexagenarii a bulla lacticiniorum sumenda excusantur, juxta declarationem a Commisario Apostolico factam (1). Novissime a Sancta Sede pro sua benignitate concessum fuit, atque a Commissario explicatum (2), omnes qui habent bullam sanctae cruciatae et summarium indultus quadragesimalis, eodem modo ac in Hispania, uti posse indultus privilegiis in itineribus per exteras regiones, et pro tempore itineris.

Meminerint tandem parochi et confessarii, "Patremfamilias, qui pro se bullam cruciatae comparavit, non posse vi ejusdem indultus filiis aliisque domesticis parare carnes caeterosve cibos prohibitos, nisi in concessione bullae aliter fuerit declaratum„ (3); attamen posse "personis quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis, adjecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis, et de unica comestione in die pro his qui jejunare tenentur„ (4): hujus vero permissionis "rationem non esse indultum patrifamilias concessum, sed impotentiam in qua versantur filiifamilias observandi praeceptum„ (5); "fideles, qui *ratione aetatis vel laboris* jejunare non tenentur, licite posse in quadragesima, cum indultum eis concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis, vesci carnibus et lacticiniis per idem indultum permissis, quoties per diem edunt„ (6); "obligationem, denique, de non miscendis piscibus cum carne diebus quadragesimae, attingere non solum eos qui jejunant, sed omnes etiam, qui vi indulti carnibus vesci possunt„ (7).

(1) 20 Febr. 1875.
(2) 3 Febr. 1888.
(3) Sac. Poenit. 27 Mart. 1874.
(4) Id. 17 Januar. 1834.
(5) Id. 27 Maj. 1863.
(6) Id. 16 Januar. 1834.
(7) S. C. S. Offic. 23 Jun. 1875.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# CAPUT III.

## De jejunio.

Iterum ac centies per Prophetas (1) inter poenitentiae opera a Domino jejunium vel praeceptum perhibetur vel commendatum. Salvator ipse noster diebus jejunavit quadraginta (2), suosque discipulos praedixit jejunaturos (3).

Ut spiritu Dei agamur (4), spiritu viventes et ambulantes (5), multum abs dubio virtus jejunii confert: hocce namque caro secundum quam qui vixerit morietur (6), crucifigitur cum vitiis et concupiscentiis (7) per Christum, qui corporali jejunio vitia comprimit (8).

Quoniam vero sunt quidam alienati a vita Dei (9), qui Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri (10), et nonnisi terrena sapientes (11) ac quaecumque ignorant blasphemantes (12), leges Ecclesiae hac super re aspernari atque procaciter impetere minime verentur, ut ne Cristifideles eorum pravis imbuti doctrinis tepescant, parochos et divini verbi praecones, quos Deus opposuit murum pro domo Israel, ut stent in praelio (13), saepe numero, in primis autem in capite quadragesimae, explicare omni studio decet obligationem, praestantiam, mo-

(1) Joel II-12; Jerem. XXXVI-9; Joan. III-5.
(2) Matth. IV-2.
(3) Matth. IX-15.
(4) Rom. VIII-14.
(5) Galat. V-25.
(6) Rom. VIII-13.
(7) Galat. V-24.
(8) Praef. Quadrag.
(9) Ephes. IV-18.
(10) Rom. XVI-18.
(11) Philipp. III-19.
(12) Judae.
(13) Ezech. XIII-5.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

dum, ac finem jejunii, necnon exemptionem ratione aetatis, languoris, aut necessitatis; nec populum fidelem monere praetermittant, ut jejunio alia pia opera jungat, atque a vitiis et profanis spectaculis jejunii diebus abstineat.

## CAPUT IV.

### De blasphemia.

"NON minus peccant (verba sunt Divi Augustini), qui blasphemant Christum regnantem in coelis, quam qui crucifixerunt ambulantem in terris„.

Qui ponunt in coelum os suum (1), bestiam infernalem imitantur, qui blasphemat eos, qui in coelo habitant (2); necnon damnatos, qui aestuantur aestu magno, et blasphemant nomen Dei (3).

Gravissimum hocce peccatum frequentissime in sacris litteris a Deo punitum invenimus, Nicanoris, qui cum blasphemia venit (4) lingua praecisa atque avibus data (5); Antiochus insanabili et invisibili plaga percussus (6); caput Holofernis blasphemantis (7) abscissum (8); Goliath in funda et lapide interfectus (9), atque blasphemus (10) Sennacherib gladio percussus a filiis (11) clarissime ostendunt, quod hac in ipsa vita terribilibus Dominus poenis blasphemos afficit.

In lege Moyses edixit: "Qui blasphemaverit no-

(1) Psalm. LXXII-9.
(2) Apoc. XIII-6.
(3) Apoc. XVI-9.
(4) II Machab. XV-24.
(5) II Machab. XV-33.
(6) II Machab. IX-15.
(7) Judith VI-2.
(8) Judith XIII-10.
(9) I Reg. XVII-50.
(10) Isai. XXXVI-7.
(11) IV Reg. XIX-37.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

men Domini morte moriatur; lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit„ (1).

In jure canonico (2) constituitur, ut "septem diebus dominicis prae foribus Ecclesiae in manifesto (dum aguntur Missarum solemnia) blasphemus existens ultimo illorum die dominico, pallium et calceamenta non habeat, ligatus corrigiis circa collum, septemque praecedentibus sextis feriis in pane et aqua jejunet, Ecclesiam nullatenus ingressurus„. Leo X (3), quem alii Summi Pontifices sunt imitati, ut laici blasphemi, pro eorum conditione, mulctentur, vel in carcerem detrudantur, statuit. Quae omnia gravissimam hujusce flagitii malitiam in lumine ponunt clarissimo.

De jure civili blasphemi antiquitus vel capite, vel fustigatione, vel linguae mutilatione damnabantur: mitigatus ut fuerit rigor hic justissimus, adhuc blasphemia a magistratum gerentibus puniri potest, quos enixe a parochis exspectamus inducendos, ut, sui muneris partes explendo, omnibus mediis a lege in sua manu positis, maximum hoc scandalum e populo convellere satagant.

Nobis tandem desiderio est, ut graves poenitentias confessarii blasphemantibus injungant; atque ut piae contra blasphemiam confraternitates tot ac tantis indulgentiis ditatae in omnibus parochiis instituantur.

(1) Levitic. XXIV-16.
(2) Cap. *Statuimus* II de maledicis.
(3) Constitut. VII *Supernae dispositionis*.

# CAPUT V.

## De perjurio.

SIMILE blasphemiae atque e populo christiano etiam, quantum Nobis est, eradicandum, existimari debet execrabile perjurii scelus. Praecisione manus olim multis in locis puniebatur: de eo in jure canonico legitur (1): "Quicumque sciens pejeraverit, quadraginta dies in pane et aqua, et septem annos poeniteat sequenter, et numquam sit sine poenitentia, et numquam in testimonium recipiatur„.

Ut ne autem Christifideles adeo horribili peccato maculentur, nulli parcant labori animarum rectores; atque imprimis ex ambone verba habentes crebro explicent, quod perjurium sanae doctrinae adversatur (2), utpote a Deo in antiqua (3), et in nova (4) lege prohibitum; quod jurare mendaciter non prodest (5), sed maledictionem attrahit (6).

Omni quo potuerint prudentiae et charitatis studio adlaborent animarum curatores, ut perjuri agant poenitentiam pro peccato (7). In multa patientia, in charitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, atque in charitate non ficta semetipsos sicut Dei ministros exhibeant (8) animarum curatores vel erga ipsos paroecos numquam satis horrendo perjurii crimine commaculatos, quo peccatis mortui, justitiae vivant per Christum (9): et labor

---

(1) Cap. *Quicumque*, causa VI, quaest. I.
(2) I Timot. I-10.
(3) Exod. XX-7; Deuter. V-11; Levit. XIX-12.
(4) Matth. V-33.
(5) Jerem. VII-8 et 9.
(6) Zachar. V-3.
(7) Levit. V-5.
(8) II Cor. VI-4 et 6.
(9) I Petr. II-24.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

suus non erit inanis in Domino (1), qui incrementum dat (2).

Moneantur denique omnes fideles, ut jurare nolint neque per coelum, neque per terram, neque per aliud quodcumque juramentum (3); etenim vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga (4).

## CAPUT VI.

### De adulterio.

NEQUE adulteri regnum Dei possidebunt (5): qui transgreditur lectum suum (6) in adulterio, a Deo judicabitur (7): et propter cordis inopiam perdet animam suam (8), atque filius mortis est ille vir (9), quoniam peccavit in conspectu Domini (10). Mulier vero quae concubuit cum altero viro maledictionibus subjacebit (11); non tradent filii ejus radices, et rami ejus non dabunt fructum, derelinquet in maledictum memoriam ejus, et dedecus illius non delebitur (12).

Adulterium praeter turpitudinem ceteris intemperantiae generibus communem, injustitiam in proximum conjunctam habet, eo quod in matrimonio mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir;

---

(1) I Cor. XV-58.
(2) I Cor. III-7.
(3) Jacob. V-12.
(4) Ecclesiastic. XXIII-12.
(5) I Cor. VI-9 et 10
(6) Eccli. XXIII-25.
(7) Hebr. XIII-4.
(8) Prov. VI-32.
(9) II Reg. XII-5 et 7.
(10) Dan. XIII-23.
(11) Num. V-20 et 21.
(12) Eccli. XXIII-35 et 36.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet sed mulier (1).

Nil ergo mirum, quod jure divino lapidatione punirentur adulteri (2): et jure canonico excommunicatione (3), decem aut septem annorum poenitentia, amissione dotis et donationum propter nuptias, atque perpetua in monasterium inclusione (4) plecterentur.

Siquidem autem luctuosissimis hisce nostris temporibus praeter propter itero dicere possumus dolenter, quod adulterium inundavit terram (5) et unusquisque fere, saltem aliquibus in locis, oculos habens plenos adulterii (6), ad uxorem proximi sui hinnit (7) et in eam operatus est abominationem (8), parochi Nobiscum clamitare non desinant contra exsecrabile hoc delictum; admodum alacri animo nulla non occasione studeant publice praesertim adulteros ad meliorem frugem reducere, et scandalum e medio tollere; atque ubi inutiles omnes conatus deprehenderint, Episcopo notum faciant.

## CAPUT VII.

### De concubinatu.

CONCUBINATUS communiter fere a juris canonici peritis (9) definitur: fornicatio continuata cum eadem certa et determinata persona, ita ut supra fornicationem dicat statum ac perseverantiam, sive inte-

(1) I Cor. VII-4.
(2) Deuter. XXII-22; Levit. XX-10; Joan. VIII-5.
(3) Cap. VI, tit. XVI, lib. V Decret.
(4) Cap. XIX, tit. XXXII, lib. III Decret.
(5) Oseas IV-1 et 2.
(6) II Petr. II-14.
(7) Jerem. V-2.
(8) Ezech. XXII-11.
(9) Ferraris Prompt. Bibliot. verb. *Luxuria* num. 7.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

rim quis, vel quae personam fornicariam domi habeat, sive ex consuetudine illam conveniat.

Sacrosanta Tridentina Synodus, huic tanto malo providendo (1), statuit hujusmodi concubinarios, tum solutos quam uxoratos, cujuscumque status, dignitatis, et conditionis existant, si postquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse..... aliis poenis contra concubinarios inflictis in suo robore permanentibus„.

Praeter oculos habeant confessarii propositiones occasionarios respicientes ab Innocentio XI (2) damnatas, necnon eam ab Alexandro VII (3) reprobatam, quae ita se habet: "Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum deficiente illa, nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno afficerent concubinarium, et alia famula nimis difficile inveniretur„.

Praeterea a concionatoribus creberrime hortentur fideles, ut, quatenus corpora christianorum membra sunt Christi (4) mundent se ab omni inquinamento carnis (5), voluntatem Dei et santificationem suam facientes (6); ut erubescant a respectu mulieris fornicariae (7), et attendant sibi ab omni fornicatione (8); ne commisceantur fornicariis (9), neque ulla immunditia nominetur in populo, sicut decet sanctos (10).

---

(1) Sess. XXIV *De reform.* matr.
(2) LXI, LXII, LXII, et LX, fer. V, die 2 Mart. 1679.
(3) XLI, fer. V, die 18 Mart. 1666.
(4) I Cor. VI-15.
(5) II Cor. VII-1.
(6) I Thess. IV-3.
(7) Eccli. XLI-21 et 25.
(8) Tob. IV-13.
(9) I Cor. V-9.
(10) Ephes. V-3.

Meretricium jam in lege Moysis prohibitum (1), ut e parochiis tollatur, studeant animarum rectores, in hoc opus vires omnes intendendo: ne parentes ipsi filias suas prostituant (2), impense est ac soler-ter curandum. Ad quae vitia debitanda magnopere expedire judicamus, ut in unaquaque paroecia vel instituantur vel foveantur pia feminarum sodalitia vulgo *filiarum Mariae* nuncupata.

## CAPUT VIII.

### De usuris.

Ad usuram dans et amplius accipiens non vivet (3), neque requiescet in monte sancto Dei (4). Moneantur itaque fideles, ne usuris opprimant pauperem (5), vel pecuniam foenerent (6), aut frugum superabundantiam exigant (7); sed e contra mutuum dent, nihil inde sperantes (8).

Usura, nimirum "pretium pro usu pecuniae mutuae acceptum„ (9) seu "lucrum quod nullo labore, nullo sumptu, nullo periculo conquiri studetur (10)„, prohibita est etiam lege sive naturali sive ecclesiastica. "Haec perpetua fuit et est catholicae Ecclesiae doctrina, omnium Conciliorum, Patrum, et theologorum unanimi consensu firmata„ (11).

Sunt quaedam circumstantiae mutuo extrinsecae, quarum intuitu potest aliquid supra sortem

---

(1) Deuteron. XXIII-17.
(2) Lev. XIX-17.
(3) Ezech. XVIII-13.
(4) Psalm. XIV-1 et 5.
(5) Exod. *XXII*-25.
(6) Deut. XXIII-19.
(7) Levit. *XXV*-37.
(8) Luc. VI-35.
(9) S. Tom. II-II, q. 78. a. 1.
(10) Conc. Later. V, sess. X.
(11) Bened. XIV, *De Synod.*, lib. X, cap. IV, n. 2.

mutuans exigere: communissime uti tales admittuntur damnum emergens, lucrum cessans, periculum sortis, et poena conventionalis. Quoad eum autem qui legis civilis titulum audit, ob oculos versetur Supremam Congregationem Sancti Officii, prout Sacra Poenitentiaria (1) Episcopo Veronensi, communicavit ad dubium: "An peccet confessarius, qui dimittit, in bona fide poenitentem, qui ex mutuo exigit lucrum lege civili statutum absque extrinseco lucri cessantis, aut damni emergentis, aut periculi extraordinarii titulo„, respondisse: "Provisum in praecedenti, nempe non esse inquietandum quousque Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, dummodo poenitentes parati sint stari mandatis Sanctae Sedis„.

Quoniam plurimi sunt contractus injusti, quorum malitia non satis perspecta a fidelibus habetur, prudenter parochi ac pro data occasione doctrinam de justitia et jure atque de contractibus juxta probatos auctores exponant.

Usurariis, si sunt clerici, suspensionis et depositionis, si vero laici, excommunicationis et privationis sepulturae ecclesiasticae poenae de jure (2) infliguntur.

## CAPUT IX.

### De educatione filiorum et domesticorum cura.

QUONIAM puer qui dimittitur voluntati suae, confundit matrem suam (3), patres debent filios educare (4), quod aliud non est nisi ad Christum ducere (5).

(1) Die 14 August. 1831.
(2) Cap. unic., tit. V, lib. V, Decret.
(3) Prov. XXIX-15.
(4) Ephes. VI-4.
(5) S. Carol. Borrom., Homil. XXXI.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

Primum ut in illis laudentur (1), parentes erudiant filios secundum legem (2), sicuti fuit erudita Susanna, eosque doceant verba Domini, ut illa meditentur (3). Curent itaque, ut filii instruantur in fide, sine qua impossibile est placere Deo (4); in scholas vere christianas eos mittant; in templum secum deferant; ut catechesim frecuentent, studeant; atque de his quae illic audiverint non raro interrogent.

Si, quod Deus avertat, aliqui inter nostros dioecesanos in scholis protestantibus, vel *laicis,* vel aliis, in quibus errores doctrinae catholicae adversantes traduntur, filios institui permitterent, ob oculos habeatur instructio Eminentissimi Cardinalis Vicarii pro parochis Romae (5) a Sanctissimo in Christo Patre Leone XIII approbata, quae quidem inter alia haec habet: "Eo magis magisque rei fiunt enormissimi peccati patres et matres, qui, vere crudeles in animas filiorum suorum, eosdem mittunt ad scholas protestantium; et etiam deterius, si illos ire cogant. Res evidens est parentes hujusmodi esse in illorum crimine reprobandos et detestandos, et omnibus modis possibilibus eorum emendationem curandam esse, et interdum tenendos esse longe a sacramentis, utpote incapaces, et indigni, donec filios suos revocaverint ab ejusmodi scholis„.

Ad fugandam stultitiam, quae est in corde pueri (6), sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua (7), non parcant virgae parentes (8), neque substrahant a puero

---

(1) Eccli. XXX-2.
(2) Daniel XIII-3.
(3) Deut. XI-19.
(4) Hebr. XI-6.
(5) 1 Jul. 1878.
(6) Prov. XXII-15.
(7) Gen. VIII-21
(8) Prov. XIII-24.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

disciplinam (1), sed assiduent illi flagella (2): verum discrete ac moderate ne ad iracundiam provocentur filii (3) vel pusillo animo fiant (4).

Proverbium est: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea* (5): vel maxime ergo ac singulari studio invigilent patresfamilias, ne inimicus hominis superseminet zizania (6) in tenellis cordibus puerorum; quoniam, sicuti mutare non potest aetiops pellem suam, aut pardus varietates suas, ita nec poterit benefacere, qui didicerit malum (7). Pro viribus itaque elaborent parentes, ut a pravis sodalibus, amicis, ludis, libris, ephemeridibus, fabellis atque litterariis sive scientificis societatibus filii abstineant, necnon a colloquiis cum amasiunculis, et nocturnis utriusque sexus personarum conventiculis rure praesertim laboris ergo haberi solitis: neque pueros et puellas in eodem lectulo dormire permittant.

Ut per parentes etiam odor notitiae Christi manifestetur (8) erudiantur filii in pietate, quae ad omnia utilis est (9), ut occurrant in virum perfectum (10), atque sint homines coelestes (11), conformes facti imagini filii Dei (12).

Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua (13): imponant igitur parentes super humeros parvulorum onus Christi, quod est leve (14). Faciant, ut sacramenta frequentent, sacrosancto

---

(1) Prov. XXIII-13.
(2) Eccli. XXX-1.
(3) Ephes. VI-4.
(4) Coloss. III-21.
(5) Prov. XXII-6.
(6) Matth. XIII-25.
(7) Jerem. XVI-23.
(8) II Cor. II-14.
(9) I Tim. IV-8.
(10) Ephes. IV-13.
(11) I Cor. XV-48.
(12) Rom. VIII-29.
(13) Jer. Thren. III-27.
(14) Matth. XI-30.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

Missae sacrificio et divinis officiis crebro intersint, mane et vespere devotas preces in Deum fundant, ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur (1).

Quatinus ubi sunt duo vel tres congregati in nomine Christi, ibi est ille in medio eorum (2), quum parentes et suae domus, Josue imitantes, serviant Domino (3), pietatis opera in commune peragant, verbi causa, salutationem angelicam, Sanctum Dei Genitricis, quam qui diligit inveniet vitam et hauriet salutem (4), rosarium, atque postremum benedictionem mensae et gratiarum actiones in eum, qui dat escam esurientibus (5).

Ne infidelibus sint deteriores (6), domesticorum curam habeant patresfamilias: sint eis dilecti quasi anima sua (7): ne laedant illos injuste (8); et statim his mercedem restituant (9). Quod si aliquem deprehenderint scandalum pusillis esse, eum quantocius e domo ejiciant, nam modicum fermentum totam massam corrumpit (10).

## CAPUT X.

### De luxu in feminis.

Ne in *die illa* auferat Dominus ornamentum (11), non sit indumenti vestimentorum cultus (12). Caveant mulieres, ut ornatu meretricio praeparatae (13), vel

(1) Ephes. III-15.
(2) Matth. XVIII-20.
(3) Jos. XXIV-15.
(4) Prov. VIII-35.
(5) Psalm. CXLV-7.
(6) I Tim. V-8.
(7) Eccli. VII-23.
(8) Eccli. XXXIII-32.
(9) Tob. IV-15.
(10) I Cor. V-6; Gal. V-9.
(11) Isai. III-18.
(12) I Pet. III-3.
(13) Prov. VII-10.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

circumornatae ut similitudo templi (1), ornamentum in superbiam ponant (2): sed contra signum superbiae et gloriae abominentur (3), cum verecundia et sobrietate se ornantes (4).

Modum non faceret, qui omnia omnino recensere voluerit damna e luxu in feminis proficiscentia. Rerum enim ac personarum ordo penitus subvertitur, familiarum pereunt patrimonia, omnigena furta perpetrantur, evanescit domestica tranquillitas, vehemensque simultatis atque invidiae incendium non potest, quin surgat ob pompas ac fastum feminarum. Accedit, quod immodicus muliebris ornatus frequenter libidinem provocat, estque diaboli laqueus, quo plurimi irretiuntur miserrime: quapropter avertere faciem a muliere compta jubemur (5); de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri (6).

"Mulierum autem fucatio est quaedam species fictionis, quae non potest esse sine peccato..... Non semper tamen talis fucatio est cum peccato mortali, sed solum quando fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum„ (7). A pigmentis ideo feminae abstineant, ni forte vultus his defectus celare velint.

"Nullo modo permittendum est mulieribus, ut nudam aliquam corporis partem offerant viris, ne ambo prolabantur„ (8). Vergat igitur parochus omnes pastoralis zeli nervos in id intendere, ut illum extirpent pernitiosum morem, sicubi est, quo aliquae mulieres nudatis brachiis et pectore incedunt.

Quum vero pro suo posse operam dent confessarii et sacri concionatores luxui in feminis insectando, non in omnem omnino muliebrem ornatum, sed

(1) Psal. CXLIII-12.
(2) Ezech. VII-20.
(3) Esther XIV-16.
(4) I Tim. II-9.
(5) Eccli. IX-8.
(6) Eccli. XLII-13.
(7) S. Thom. II, II q. CLXIX, a. 2, ad 2.um
(8) Clem. Alex., lib. II Paedag., cap. II.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

in eum solum invehantur superfluum, immodicum turpem, quodve proprii status conditionem superat.

Gnaviter denique studeant animarum rectores, quod magni referre ad luxum coercendum exsistimamus, ut feminae induant habitum Beatissimae Virginis Mariae de monte Carmelo, quo "divina virtute procul pellantur hostium visibilium et invisibilium tela nequissima„ (1).

## CAPUT XI.

### De choreis et spectaculis.

Admodum periculosae sunt choreae, praesertim uti nunc temporis habentur, ob nimiam viri et mulieris familiaritatem, qua perdifficile re veritatis est, ut concupiscentiae ignis non exardescat. Nil igitur reliqui faciant confessarii, ea qua decet prudentia, quo poenitentes a saltationibus retrahant; neque eos absolvant, qui, dum possunt, ab eo tripudio abstinere detrectant, quod eis proximam graviter peccandi ocassionem inducit.

Operam perquam sollertem huic rei transmittant animarum pastores, ut saltationum scandalum radicitus tollant, vel saltem diminuant, pietatem in puellis et sacramentorum frequentiam promovendo, atque adversus peccata quae in choreis plerumque committuntur concionando. Curent denique, quantum opis suae est, ne saltem tripudia noctu fiant, atque ut puellae una cum parentibus, seu ad minus a juvenibus separatae domum redeant, praesidio, ubi opus fuerit, auctoritatis civilis freti.

Quatenos in theatris (quod maxime quidem fit, quando vulgo sunt destinata) communiter vel obs-

---

(1) Benedict. habitus B. M. V de monte Carmelo.

cena repraesentantur, vel flagitiosa delicta non minimum extolluntur, vel ipsa religio ludibrio exponitur, vel feminae procaci nuditate in spectaculo agunt, atque in choreis scenicis longe inverecunde saltant, nec nemo comoediis intersit, ni prius certior fiat de repraesentationis qualitate. Confessarii universim id oblectationis genus, quae tot peccatis ansam praebet, poenitentes ut horreant, omnem curam adhibeant.

## CAPUT XII.

### De ludo.

Plurima eaque gravissima (1) scelera ex aleae ludo communiter proveniunt, nimirum amissio temporis, blasphemia, contumelia, temporalis substantiae dissipatio, Ecclesiae contemptus, inobedientia, furtum, homicidium, invidia, rerum necessariarum in familia penuria, jactantia, mendacium, divinorum neglectus, odium, contentiones, rapina, scandalum, tristitia, usura, christianitatis vituperatio, honestatis oblivio, ac postremo suicidium.

Gravissimis igitur verbis sacerdotes immoderatum atque aleatorium ludum insectentur; simulque parentes moneant, ne filios ingredi permittant cauponas, tabernas vinarias, apothecas vulgo *cafés*, coetusque ubi ludus ab aliquibus exercetur, ceu ars quaedam ad incautos dolo et fraude decipiendos.

Parochi speciatim laborent, sicut boni milites Christi Jesu (2), atque operarii inconfusibiles (3), ut e populo christiano hocce vitium eradicent. Doceant paroecos, quod nihil est iniquius quam amare pecu-

(1) S. Antonin. part. II, tit. I, cap. XXIII.
(2) II Tim. II-3.
(3) II Tim. II-15.

niam (1), eosque exhortentur in doctrina sana (2), ut caveant ab omni avaritia (3), quae est simulacrorum servitus (4), sed contra aemulantes charismata meliora (5), omnia detrimentum faciant, et arbitrentur ut stercora, ut Christum lucrifaciant (6).

## CAPUT XIII.

### De ebrietate.

Neque ebriosi regnum Dei possidebunt (7), non est enim regnum Dei esca et potus (8).

Innumerosa sunt damna, quae e vino extra modum potato originem ducunt. Ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venenum diffundet (9), atque amaritudo animae erit (10). Apostatare facit sapientes (11); aufert cor (12); est res luxuriosa (13), quippe in qua est luxuria (14); irritationem et iram et multas ruinas facit (15); ¿cui enim praecipue nisi vino rixae sunt ascribendae? ¿cui sine causa vulnera? (16). Nullum secretum est ubi regnat ebrietas (17): ac denique ebriosus non locupletabitur (18).

Abstineant itaque Christifideles ab operibus car-

(1) Eccli. X-10.
(2) Tit. I-9.
(3) Luc. XII-15.
(4) Coloss. III-5.
(5) I Cor. XII-31.
(6) Philipp. III-8.
(7) I Cor. VI-10.
(8) Rom. XIV-17.
(9) Prov. XXIII-31 et 32.
(10) Eccli. XXI-39.
(11) Eccli. XIX-2.
(12) Ose. IV-11.
(13) Prov. XX-1.
(14) Ephes. V-18.
(15) Eccli. XXXI-38.
(16) Prov. XXIII-29.
(17) Prov. XXXI-4.
(18) Eccli. XIX-1.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

nis quae sunt ebrietates (1); et sobrii sint (2), ne forte errantes et ignorantes judicium (3), eorum graventur corda et perveniat in eos repentina *dies illa* (4), et fleant et ululent (5).

Confessarii ebriosis convenientes et salutares satisfactiones injungant, non in vindictam tantum peccati, sed in morbi etiam medicinam. Parochi vero et divini verbi praecones populo ostendant gravissima damna ex hoc vitio proficiscentia.

## CAPUT XIV.

### De sanctificatione festorum.

Nemo non videt quot quantaque mala, quae dinumerare supervacaneum ducimus, e festorum sanctificationis neglectu proficiscantur. Sacerdotes igitur omnes vocem suam Nobiscum attollant contra nefariam hujusce praecepti transgressionem, et nihil cordi potius habeant quam, ut populus christianus in festis sacrum audiat, atque ab operibus servilibus abstineat.

Corde Nobis est, ut hoc satis non habentes sacrae concioni intra Missam assuetae ac precibus vespertinis in ecclesia habendis fideles religiose assistant. Nae, divinis persolutis officiis, animum licet honeste recreare: nilo secius graviter illi sunt objurgandi, qui dies sacros agunt omnino otiosi, vel, quod pejus est, in vanitate, et ludo, et comessationibus, et peccatis, et scandalis.

Diebus festivis mercatus celebrari de jure cano-

---

(1) Gal. V-19 et 21.
(2) I Petr. V-8.
(3) Isai. XXVIII-7.
(4) Luc. XXI-34.
(5) Joel I-5.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

nico (1) et a pluribus Summis Pontificibus, et Conciliis (2) prohibentur. Suadeant igitur parochi ruricolas, ne absque necessitate iter agant diebus festis vendendi aut emendi ergo: mercatores quoque moneantur ut societate inita omnes ad unum abstineant a venditione diebus in festis, vel dumtaxat ne merces in aperto ostentent. Quod si per quam difficile est nundinas in dominicis ac festivis diebus celebrari consuetas vitare, cavendum vel maxime aliquae de novo introducantur; cui operi ut toto pectore parochi incumbant, magnopere ex eis petimus.

Parochi in sacris functionibus, quae quidem decenti apparatu et ad populi commoditatem fixa hora peragi debent, sicuti nimiam festinationem, ita et immodicam moram vitare procurent; praeterea festa suppressa annuntient, et eos qui facile possint, ad audiendam Missam invitent.

Omnibus festis diebus post Missam parochialem, vel ubi melius expedire videatur, actus fidei, spei et charitatis a parocho una cum populo recitentur, "atque a misericordiarum Patre suppliciter petant, ut ejusdem religionis professionem tueri et inviolatam conservare dignetur„ (3).

---

(1) Cap. I, tit. IX, lib. XI Decret.
(2) Apud. Bened. XIV *De Syn.* l. VII, c. III.
(3) Pius IX Encycl. *Nostis.*

# SYNODI CONCLUSIO.

---

Omnibus, Deo juvante, confectis, quae ad majorem ipsius Dei gloriam animarumque salutem congruentia atque opportuna Nobis visa sunt, reliquum est, ut pro conclusione, quae subsequuntur declaremus:

I. Volumus, ut omnia, quae in hac Synodo statuta sunt, promulgatione facta, uti mos est, omnes nostrae dioecesis tum clericos, tum etiam quoad ea, quae ad ipsos spectant, laicos, a die 24 Decembris proximi obligent.

II. Si in nostrorum praedecessorum jussis aut constitutionibus aliquid iis, quae in hac Synodo praecipiuntur, contrarium existit, illud revocamus et nullam eis inesse vim decernimus.

III. Si in his constitutionibus locus dubio relictus sit, eas interpretandi jus Nobis et successoribus nostris reservamus, uti etiam ampliandi, innovandi, aut dispensandi, quod in Domino opportunum videbitur, pro temporum, personarum ac locorum adjunctis.

IV. Omnia denique submisse atque humiliter Sanctae Romanae Ecclesiae, omnium Magistrae, ac

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

nostri Smi. Patris Leonis XIII, Iesu Christi Vicarii, judicio subjicimus.

Luci Augusti, 27 Augusti 1891.

*Fr. Gregorius Maria,*

Episcopus Lucensis.




USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# SYNODI APPENDICES.



# APPENDIX I

## SERMÓN

pronunciado en la Misa Pontifical

DEL PRIMER DÍA DEL SÍNODO

POR EL

## DR. D. JUAN MANUEL CARLÓN ALÁEZ,

MAESTRESCUELA DE LA S. I. CATEDRAL.

> Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.
> *Matth.* XXVIII-20.

ILMO. Y RMO. SEÑOR:

Privado el Profeta Rey de la suspirada dicha de ver con sus propios ojos el tabernáculo del Señor, que tenía su asiento en Jerusalén, contemplaba con la imaginación su riqueza y su hermosura, y extendiendo sus brazos hacia la ciudad querida de su alma, y no pudiendo contener en su pecho los ardientes deseos que se desbordaban de su corazón, arranca de su inspirada cítara estos sonidos apasionados: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum* (1) ¡Cuán amables son tus tabernáculos, Señor, Dios de los ejércitos! Mi alma suspira y padece deliquios con el ansia de penetrar en los atrios del Señor: *concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* (2), y mi corazón y mi cuerpo sufren transportes de gozo, y saltan de alegría, contemplando des-

(1) Psal. LXXXIII-2.
(2) Psal. LXXXIII-3.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

de mi destierro al Dios de la grandeza y la vida: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum* (1).

Más afortunado yo que el sublime cantor de los salmos, porque tengo la incomparable dicha de habitar en la casa del Señor, que es la Iglesia de Jesucristo, representada por aquel tabernáculo de la Ciudad Santa; y en presencia del grandioso espectáculo que hoy nos ofrece aquí esta *hija del cielo*, yo no siento aquellos deseos vehementísimos que hacían desfallecer el corazón del Profeta; pero mis ojos no se sacian de ver, mi alma no se cansa de admirar, mi espíritu se dilata y eleva, mi corazón se inflama, un gozo celestial inunda mi pecho, y con más razón que David, exclamo: ¡Iglesia santa, Iglesia de mi Señor Jesucristo! ¡qué delicioso es morar dentro de tus pabellones! Vale más vivir un solo día en los atrios de tu templo, que habitar millares de años en los palacios de los reyes y de los poderosos de la tierra: *Melior est dies una in atriis tuis, super millia* (2).

Sí, h. m.; hoy es aquí todo grandeza, todo majestad, todo magnificencia; hoy es la fiesta por excelencia de la diócesis lucense, que, respondiendo, llena de fe y entusiasmo, al llamamiento del celosísimo Pastor que, por especial providencia, la gobierna, y reuniendo sus energías más poderosas y sus fuerzas más vivas, cierra un paréntesis de doscientos veintidós años, abre una de esas asambleas que en nuestra España dieron tantos días de gloria á la Iglesia y á la patria, é inaugura un Sínodo diocesano con toda la pompa del culto católico, reanudando por este modo sus gloriosas tradiciones, por más de dos siglos interrumpidas.

Por eso, h. m., bajo las augustas bóvedas de este sagrado templo, donde se realiza este faustísimo acontecimiento, cuya importancia y trascendencia no pueden menos de reconocer hasta los más indiferentes, parece que se aspira con el aroma del incienso un perfume que viene del cielo, parece que se siente pasar por encima de nuestras cabezas el soplo vivificante de Dios, y se perciben las palpitaciones del corazón de una madre, del corazón de la Iglesia católica, que da el testimonio más auténtico y más irrecusable de una vida floreciente, vigorosa y fecunda.

*¡Videant et confundantur!* Que vengan hoy á esta ciudad privilegiada los enemigos de la Iglesia que se atreven á echarle en cara desfallecimientos, aniquilación de vida y vejez caduca, que consideran como presagio seguro de una muerte inevitable, y serán confundidos en sus infames deseos y en sus fatídicas

(1) Psal. LXXXIII-4.
(2) Psal. LXXXIII-14.

predicciones. Que vean esas inmensas oleadas de movimiento, que se imponen á todas las miradas; y si el movimiento es signo de vida, porque la vida produce el movimiento, *motus in vita*, se verán obligados á confesar que hay en la Iglesia, no una vida caduca y débil, como ellos quisieran, sinó una superabundancia de vida inmortal.

Tales son las consoladoras ideas que despierta en mi mente la solemne inauguración del Sínodo diocesano que hoy celebramos, y sobre las cuales me propongo hacer algunas ligerísimas observaciones, en el breve tiempo que taxativamente se me ha fijado, y cuyos límites no quisiera traspasar.

Pero ¿quién soy yo para ocupar esta cátedra sagrada en ocasión tan solemne, en circunstancias tan extraordinarias, y ante un auditorio tan numeroso, tan ilustrado, y compuesto, en su mayor parte, de maestros del pueblo de Dios? Soy el primero en reconocer mi incompetencia, y confieso además que siento el alma oprimida bajo el peso de la grandeza y majestad de cuanto me rodea. Mas he recibido un mandamiento de mi Padre, que es también el vuestro; nuestro venerado Pastor me ha confiado esta delicada á la par que honrosísima misión, y practico un acto de obediencia, y tal vez el de mayor confusión de toda mi vida.

Sed, pues, más que nunca indulgentes conmigo, y ayudadme á implorar los auxilios del cielo por la mediación poderosa de la Santísima Virgen, dirigiéndole reverentes la salutación angélica: *Ave María.*

---

La Iglesia está dotada de un movimiento inmanente y espontáneo, que es el carácter propio de la vida.

Considerad atentamente su origen prodigioso, y la veréis naciendo de una palabra y de la sangre de un Dios, y no hallaréis junto á su humilde cuna ni el resplandor de los cetros, ni el brillo de la espada, ni el prestigio de otros poderes humanos; antes bien, los cetros, las espadas y todos los poderes de la tierra, animados por un odio verdaderamente salvaje, no cesaron de conspirar contra su vida naciente.

Seguidla en aquel sangriento período de trescientos años, durante los cuales vió brillar sobre su cabeza cada día la guadaña de la muerte, pero creyendo siempre y esperando con los ojos clavados en el cielo; y al cabo de tres siglos de sangre derramada, volveréis á encontrarla sintiendo dentro de su pecho, más vigoroso que nunca, el soplo de su propia vida. Y mientras en la Iglesia rebosaba la ola de la vida de Dios, ¿cuál era y ha venido siendo la suerte de sus poderosos y encarnizados

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

perseguidores? Consultad la historia: Lactancio escribió un libro *De morte persecutorum*, y cada siglo añade una página á este libro.

¿Habrá perdido la Iglesia en los siglos posteriores algo de aquella savia de inmortalidad que recibió de Cristo resucitado, de suerte que su crecimiento y desarrollo hayan desmentido el origen divino de su vida? ¡Oh, hermanos míos! ¡Qué vasto y fecundo campo se abre aquí á las meditaciones del apologista cristiano, si quiere seguir á esa hija del cielo en su marcha majestuosa y solemne á través de los pueblos que desaparecen, de las edades que se renuevan y de los imperios que se desmoronan, siempre victoriosa en medio de los más arduos peligros y de los más recios combates!

Hace diecinueve siglos que dura este prodigio, y hay todavìa una raza de hombres que se atreven á esperar, como ya lo esperaba el apóstata Juliano, la próxima victoria de la muerte sobre la Iglesia.

Ya no es, dicen acariciando su ilusión querida, ya no es la Iglesia aquel atleta joven y robusto que soñaba en la sombra con la conquista del mundo, que subía desde las catacumbas á las plazas públicas, y ahogaba en su propia sangre al paganismo vencido; ya no es aquella deidad seductora que calmaba el furor de los bárbaros escapados de la Tartaria, del Cáucaso, de la Germania y de la Escandinavia, que disciplinaba su vida, y ponía su naturaleza ruda y ardiente al servicio de los grandes y heroicos sacrificios; ya no es la única maestra del mundo, á cuyas escuelas acudía la juventud de todos los paises en busca de la ciencia; ya no es aquel déspota altivo que dominaba los tronos y hacía doblegar bajo el peso de sus anatemas la frente soberbia de los reyes y emperadores. La Iglesia es ya un ser decrépito que arrastra una vida caduca, que no se da cuenta de lo que pasa en torno suyo, ni oye los gritos generosos que se escapan del pecho de los pueblos libres; es un cadáver que sólo sirve de estorbo, y que debe hacerse desaparecer de las vías del progreso moderno.

Así hablan ciertos agitadores maniáticos que tienen la ridícula pretensión de pasar por oráculos, y dan á sus discursos un subido tono sibilítico, dejando ver bien claro su odio de secta y descubriendo su falta de buen sentido.

Mas yo dirijo á todas partes mis ojos; yo fijo respetuosa y atenta mirada sobre la cabeza y sobre los miembros de la Iglesia, y no veo más que juventud, vigor y vida.

Hojead, si no, los anales de la propagación de la fe; contemplad el movimiento sublime del apostolado católico, y veréis que la Iglesia trabaja hoy con el mismo ardor de sus mejores días

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

en la conquista del mundo y en la abolición de todas esas religiones monstruosas que rebajan la majestad santísima de Dios; veréis alejarse todos los días de nuestras playas verdaderas falanges de jóvenes animosos y heroicos, cuyos ojos, todavía humedecidos por las lágrimas con que han regado la frente de sus ancianos padres, interrogan el horizonte buscando la tierra inhospitalaria donde se debe consumir su vida. Como la paloma del diluvio, van á llevar á los pueblos que han naufragado entre las sirtes del error, las revelaciones y las promesas del cielo. Y desafían el peligro de los mares, y arrostran los hielos del polo y los fuegos del ecuador, el furor de las bestias feroces y las emboscadas del hombre enemigo, el hambre, la miseria, y el peor de todos los males, la soledad lejos de la patria, con tal que puedan hacer conocer á una sola alma el nombre, la verdad y la gracia de Jesucristo; y por precio de sus trabajos no piden al cielo más que el martirio.

Decidme ahora, h. m.; ¿es así cómo un anciano agita sus miembros entorpecidos por la edad? Esa voz que resuena en todos los puntos de la tierra, y dice á los pueblos: *surgite mortui*, levantaos, muertos, ¿es por ventura la voz doliente de la decrepitud? Esa sangre generosa, que cae á torrentes de las venas de la Iglesia, ¿tiene alguna semejanza con las gotas avaras que apenas pueden extraerse de las venas agotadas de una vejez agonizante? La efusión de sangre causa espanto en el alma, porque es un signo de muerte; mas yo digo, lleno el corazón de santa alegría, que la sangre preciosa derramada por la Iglesia, nuestra madre, es el signo más auténtico de su vida.

Otro no menos elocuente y expresivo es la saludable y cotidiana influencia de su doctrina y de sus virtudes sobre los individuos y las sociedades.

Sí, h. m.; la Iglesia es quien todavía detiene al salvaje en su vida de aventuras; y si no siempre consigue llevarle á las riberas de la civilización, le conduce segura y dichosamente hasta las puertas del cielo: la Iglesia es á quien hay que recurrir para disciplinar esas razas atrasadas, á quienes la independencia del desierto protege contra la fuerza de las armas y la presión de las medidas administrativas; la Iglesia, en fin, es todavía la única institución que contiene las sordas cóleras de una barbarie de la peor especie, de una esfinge terrible sentada, con las manos llenas de dinamita, bajo las mismas gradas por donde se sube al templo de la fortuna, y cuyo ciego furor hubiera estallado hace ya mucho tiempo, devorando por completo á la sociedad, si la Iglesia, animada por una religiosa y tierna compasión, no se hubiese detenido junto á ella para acariciar su cabeza enloquecida por la fiebre de goces, para curar las heridas de su corazón

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

abiertas por las insolentes provocaciones de los ricos, para murmurar á su oído, en horas de lucidez, palabras misteriosas que despiertan en su alma la paciencia y resignación cristianas. Y si la misteriosa esfinge nos alarma todavía con sus rugidos siniestros, es porque se ha cometido la ingratitud, la torpeza y la locura de haberla enseñado á mirar con desprecio á la Iglesia, su bienhechora.

¿Qué significa todo esto, h. m.? ¿Véis en ello un síntoma de decadencia, ó un signo de permanente juventud? ¡Ah! Cuando un ser se siente herido en su vida, se reconcentra sobre sí mismo por un movimiento egoista, y emplea los últimos restos de su fuerza en retener el gran bien que se le escapa. Pues si la Iglesia, en vez de replegar todo su calor en sí misma, lanza de su alma, como de un hogar generoso, torrentes de fuego, que son las obras de su ardiente y fecundo amor, es evidente que lleva en su seno el principio de una vida inmortal, y puede con toda justicia exclamar en el sentimiento de su inagotable energía: «Yo soy la reina, la señora y la madre de todos los vivientes».

Ya lo véis, h. m.; á pesar de las siniestras profecías de sus enemigos, la Iglesia se halla hoy en toda la plenitud de su vida: todo lo afirma, todo lo proclama, todo lo canta.

¿Queréis ahora un signo todavía más evidente de la vida de la Iglesia? Pues contemplad el sorprendente y magnífico que tenéis delante de los ojos, el que podríamos llamar su acto vital por excelencia, la celebración de sus Concilios. No es mi ánimo detenerme á exponer la naturaleza de estas asambleas católicas y sus diversas clases; no voy á ponderar los utilísimos efectos que producen ni la importancia religiosa y social que tienen, porque sería desviarme de mi propósito, y traspasaría los estrechos límites que se me han trazado. Pero no puedo menos de afirmar, aunque sólo sea de paso, que los Concilios ecuménicos se remontan á los mismos tiempos de los Apóstoles; que su institución entra de lleno en el plan del divino fundador de la Iglesia; que su tipo y forma es el Concilio de Jerusalén, reunido y presidido por San Pedro; que su historia es la historia del triunfo de la verdad sobre el espíritu de la mentira, la historia de toda nuestra sacrosanta religión y de la misma sociedad civil, cuyos intereses fueron siempre defendidos por los Concilios, á la vez que trabajaban en favor de los intereses eternos. Yo no puedo menos de proclamar con los Padres del Concilio Coloniense: «Que los Concilios particulares, ora sean nacionales, ora provinciales ó diocesanos, son el terror de los enemigos, el sólido fundamento de la fe católica, y los nervios del cuerpo de la Igle-

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

sia» (1); y no puedo menos de añadir con el inmortal Pío IX (2) «que si fué siempre muy útil al clero reunirse algunas veces para estrechar los vínculos de mutua caridad, para establecer reglas de disciplina, y defender y promover los intereses de la Iglesia, es oportunísimo y hasta necesario en nuestros días, en que se abusa de todos los medios para sembrar en el campo de la Iglesia la semilla de la discordia, para separar al clero de su propio Pastor y al pueblo del clero, para trastornar las leyes y la misma constitución de la Iglesia, y hasta para disolver, si pudieran, su inquebrantable unidad.»

Hecha esta digresión, que espero habéis de perdonarme, y volviendo de nuevo y de lleno á nuestro asunto, contemplemos en toda su magnificencia el grandioso espectáculo que ofrece la Iglesia en sus Concilios; y mirándole por el lado que más vivamente pueda herir nuestros sentidos, se nos presentará como la demostración más irresistible y como un signo palpable de la vida de nuestra Madre.

Mas, no siendo posible hacer una excursión por la historia de todos los Concilios, nos concretaremos al Concilio del siglo diecinueve, el que podemos decir que se ha celebrado delante de nuestros ojos.

En medio de las agitaciones de un siglo que declina rápidamente hacia su ocaso, el Pontífice augusto que ocupaba entonces la silla de Pedro, dirige á través del mundo su investigadora mirada de Pastor y de Padre; vé por todas partes problemas que se chocan, errores que se afirman, abismos que se entreabren y peligros que se anuncian; y devorada su grande alma por el celo de la gloria de Dios y de la salud de los hombres, deseando aplicar un remedio heroico y proporcionado á los grandes males que amenazan, pronuncia una palabra en su morada del Vaticano, hace un llamamiento á los Obispos del mundo entero...., el eco de esta palabra resuena poderoso en todos los confines de la tierra, y Roma vió amanecer de nuevo los días de Nicea, de Éfeso y de Trento, esos grandes días de la cristiandad, en que los juicios de Dios se pronunciaban por la boca de los hombres.

Los Obispos responden con un movimiento unánime al llamamiento de su augusto Jefe; y dejando los unos sus palacios, los otros sus techos de palmeras, y atravesando los continentes y los mares, llevan á Roma la tradición constante y universal de sus pueblos.

No es, pues, la voz de un hombre, ni de una región, ni de una época la que se oye resonar en Roma; es la voz de todas las lenguas y de todas las razas reunidas en aquella Pentecostés de las

(1) *De Synodorum celebrat.*, cap. I.
(2) Litt. ad clerum viglevanensem, 4 Sept. 1876.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

naciones modernas; voz del Oriente y del Occidente, voz del Septentrión y del Mediodía, voz de los tiempos, voz de la eternidad.

Y es la Iglesia por sí sola quien produce este movimiento tan extraordinario, sin apoyo ni ayuda de los reyes, de los emperadores y de las repúblicas, antes bien triunfando de la resistencia de todos los poderosos de la tierra y de todas las pasiones populares.

Cesen ya los enemigos de la Iglesia de llamar caduca y agonizante á una sociedad en que la vida responde con un movimiento tan pronto y tan enérgico á los llamamientos de la vida; y abriendo los ojos á la luz y rindiéndose á la evidencia de la verdad, confiesen que ahora mejor que nunca justifica la Iglesia esta definición que dá Santo Tomás de la vida: *Vivere dicuntur aliqua, secundum quod operantur ex seipsis, et non quasi ab aliis mota.* «Se dice que un ser vive, en tanto que obra por sí mismo, y no es movido por otro» (1).

Pero no falta quien diga, en su inmoderado afán de acusar á la Iglesia, que falta en ella equilibrio y armonía; que toda la fuerza de su vida es absorbida por la cabeza; que la corte de Roma hipertrofiada invade y anula las prerrogativas más sagradas y los derechos más legítimos de los Obispos. Aserción gratuita, calumniosa y sacrílega; aserción mil veces desmentida por otros tantos hechos públicos, solemnes y decisivos.

Abrid los ojos, h. m., contemplad los Concilios provinciales y los Sínodos diocesanos que ahora más que nunca se celebran en todo el orbe católico, y no podréis negar que la vida de la Iglesia circula por todo su cuerpo y llega hasta las últimas extremidades de todos sus miembros.

Hablen por mí, en nuestra España, Valladolid y Compostela, Cádiz y Barcelona, Vitoria y Ciudad-Rodrigo, Oviedo, Santander, Astorga..... Mas ¿què necesidad tengo de buscar fuera de aquí signos de vitalidad en todos los miembros de la Iglesia? Nosotros mismos, los que componemos este Sínodo, y los numerosos fieles que á él asisten visiblemente conmovidos, ¿no somos el más elocuente testimonio de nuestra vitalidad contemporánea? Si un extraño acertase á penetrar ahora en este sagrado templo, ¿se atrevería á decir que la diócesis de Lugo está muerta? ¿No se vería obligado á confesar que aquí todo es vida, exuberancia de vida, y vida floreciente y fecunda, señal manifiesta de que la sangre de Cristo circula por todas las venas de su Iglesia?

Sí, h. m.; yo contemplo este sagrado recinto convertido ahora en aula sinodal, y me parece que asisto al cenáculo de Jerúsalén, y percibo el suave movimiento del espiritu de sabidu-

(1) Sum. Theol., p. I, qüest. XVIII, art. 5.

ría, de celo, de armonía y de paz, que bate sus alas de fuego y de luz sobre la frente venerable del Prelado ilustre que preside, y de los setecientos sacerdotes diocesanos que forman su brillante corona; y me parece que veo levantarse en medio de nosotros la figura majestuosa de la Iglesia, y que irguiendo su cabeza, como el guerrero de la Escritura, nos dice: «Yo llevo en mi seno los gérmenes de una juventud perpetua y de una vida inmortal; yo soy el milagro de la fuerza y de la vida, yo soy la verdadera madre de todos los vivientes; y vosotros, que sóis mis hijos, estáis ahora dando el testimonio más glorioso de mi vida».

Ilustrísimo Señor: muchas y magníficas son las obras que en el breve tiempo de vuestro Pontificado llevan grabado el sello de vuestra solicitud y celo pastoral; pero entre todas descollará desde hoy como un gigante, y lucirá como un sol en medio de los demás astros, el Sínodo diocesano de 1891. Alegraos y regocijaos en el Señor, porque véis satisfecho el ardiente deseo que más acariciabais en vuestro corazón, porque estáis llevando á feliz término, y pronto veréis coronada con las bendiciones de Dios, la colosal empresa en que habéis empleado un trabajo tan ilustrado como perseverante.

Y nosotros, venerables sacerdotes y amados hermanos míos, no nos cansemos de dar gracias al Dios de las misericordias, porque nos ha permitido alcanzar este día para siempre memorable en los fastos de la Iglesia de Lugo; porque nos ha concedido la honra y el consuelo de tomar una parte más ó menos activa en este Sínodo diocesano; porque nos ha ofrecido la ocasión de contribuir más ó menos directamente á su mayor gloria y á la salud espiritual de las almas.

Y en prueba de que palpita en nuestro pecho un corazón agradecido, prometamos una vez más adhesión y amor al sapientísimo Pontífice que ocupa con tanta gloria la silla de San Pedro; adhesión y amor al Pastor vigilantísimo que con tanto celo gobierna esta Iglesia; adhesión, en fin, adhesión generosa y obediencia entera y filial á las decisiones que emanen del presente Sínodo.

Y ya que un Gregorio es quien abre una nueva era de gloria en esta diócesis, yo voy á cerrar mi discurso con unas palabras de otro Gregorio, del Pontífice San Gregorio Magno, que á este propósito decía: «Todo el que guarde fielmente las enseñanzas de los Concilios, sea para él la paz de Dios, por Jesucristo su Hijo, que vive y reina consustancialmente con el Padre, en la unidad del Espíritu-Santo, por los siglos de los siglos» (1). *Amén.*

(1) Ep. ad Joan. Patr. Const.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

# APPENDIX II

## ALLOCUTIO

## LIC. D. ANTONINI LÓPEZ PELÁEZ,

CANONICI MAGISTRALIS,

*in tertia et postrema sessione*

SYNODI.

Tuam supernam auctoritatem, maximamque quae tibi debetur reverentiam, Illustrissime ac Reverendissime Domine, dum mecum ipse reputo: tot et tantos viros omnibus verae sapientiae dotibus cumulatos atque insigni virtutum splendore coruscantes dum oculis cerno: meam tandem facultatum tenuitatem, quam quidem nullo umquam tempore sicut in praesens doleo, dum animo prospicio, mens obnubilatur, et magna capior formidine.

Neque unquam, venerabiles sacerdotes, concionem ascendissem, ni vestram benevolentiam adjungendam magnus mihi quidem animus esset, eo quod non sponte mea, sed dilectissimo Antistiti morem gerendi gratia, tantum ac talem honorem, quali equidem haud me dignor, acceptaverim, onus longe supra vires suscipiendo.

Quid autem quod vos fugiat ostendere, emeritissimi Domini, quidve vos hortari valeam ego omnium in omni, vel fortassis in aetate, minimus?

Attamen aliqua, obediendi ergo, verba facturus, nulla opportunior res, neque muneri vestro, diligentissimi parochi, congruentior mî quidem videtur quam si de *zelo pastorali* sermonem habeam.

Quamvis haec materia propter maximum suum momentum breviter comprehendi non deberet, veruntamen ne vos molestia afficiam, et quatenus temporis premimur angustiis, paucis absolvam, Dei Optimi Maximi gratia adjutus, et tua, Reverendissime Pater, fretus indulgentia.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

Dominus ac Redemptor noster sanctum Petrum Ecclesiae universalis Pastorem instituens, in eo, utpote caeterorum principe, omnes erudire voluit: itaque ubi ter de dilectione responsum ab illo quaesivit, tertio simul oves suas pascere praecepit (1), ut significaret, teste Doctore melifluo, triplici pabulo oportere quemlibet Pastorem gregem alere, quasi nempe diceret: Pasce verbo, pasce oratione et spirituali sacramentorum subsidio, pasce conversationis exemplo.

Petrus autem, cui ceteros instituendi munus est demandatum, sollicite et impense, paternis visceribus, sancto affectu, et apostolico spiritu, animarum curatores adhortatur. *Seniores*, inquit, *obsecro testis Christi passionum: qui et ejus, quae in futuro revelanda est, gloriae communicator; pascite, qui in vobis est, gregem Dei* (2).

Quod sic explicat sapientissimus quidam parochus: Obtestor vos et per omnia adjuro: per ipsam passionem Christi, cujus testis sum; per ipsum sanguinem quem pro grege fudit; per gloriam, quam expectamus, et cujus ego in monte praelibavi suavitatem, pascite gregem, populum fidelem pro viribus curate, ut boni pastores.

Hoc quo melius intelligatur, boni pastoris vasa et instrumenta cum Divo Bernardo consideremus. Pastor sapiens, satagens, ac prudens, habere solet peram et panem in pera, baculum quoque et canem latrantem, et cornu cum oleo curandi vim habente: nostra in re, panis in pera est verbum Dei in memoria; canis latrans praedicatio contra vitia; baculus correctio quae rebellia ferit corda; denique monitio suavis est oleum leniens, quo pastor scabiem ovis fricat, ejusque linit ulcera. Quae Divus Paulus complectitur scribens ad Timotheum (3): *Testificor*, ait, *coram Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius et regnum ejus, praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*

---

Haec omnia a vobis habenda, observandissimi fratres, explorata veritas fatetur.

Christi estis ministri (4), ab eo missi, sicut ille a Patre (5); Christumque imitari debetis, Pastorem bonum (6), Pastorum

(1) Joan. XXI-15. 16 et 17.
(2) I Petr. V-1 et 2.
(3) II Tim. IV-1 et 2.
(4) Rom. XV-16.
(5) Joan. XX-21.
(6) Joan. X-11.

USC UNIVERSIDADE DE SANTIAGO DE COMPOSTELA

principem (1), animam pro ovibus ponentem (2), qui pertransiit benefaciendo (3), et loquens de regno Dei (4), diu noctuque omnia omnibus factus.

Facite ergo, carissimi fratres, voluntatem Dei (5) fortis et zelotae (6), quae est sanctificatio hominum (7): homines namque a Deo ad imaginem ejus creati (8), pro quibus descendit de coelis (9), et in similitudinem hominum factus (10) tradidit semetipsum (11), et mortuus est (12); quibus maxima et pretiosa donavit (13), eos thesauris supernae suae gratiae cumulatissime ditans, ut fierent coelestes (14), et initium aliquod creaturae Ejus (15), et domestici (16), necnon filii (17), et divinae consortes naturae (18), utpote adoptionem filiorum recipientes (19) conformes imagini Filii (20), itaque haeredes Illius essent (21), cohaeredes autem Christi (22), vitam habentes (23) nempe aeternam (24), vobis sunt commissi; eorum salus magnopere ex vestro pastorali zelo pendet.

Videte, praeclarissimi viri, ministerium quod accepistis, ut illud impleatis (25); digne ambulate vocatione qua vocati estis (26); ministerium vestrum honorificate (27). Amici Christi (28), pro Christo legatione fungimini (29): dispensatores estis mysteriorum Dei (30), Ejusque adjutores (31), et operarii in messe Domini (32), qui mandavit unicuique de proximo suo (33), et consti-

---

(1) I Petr. V-4.
(2) Joan. X-15.
(3) Act. Apost. X-38.
(4) Act. Apost. I-3.
(5) Hebr. X-36.
(6) Exod. XX-5.
(7) I Thess. IV-3.
(8) Gen. I-27.
(9) Joan. VI-38 et 39.
(10) Philipp. II-7.
(11) Gal. II-20.
(12) Rom. V-9.
(13) II Petr. I-4.
(14) I Cor. XV-48.
(15) Jac. I-18.
(16) Ephes. II-19.
(17) Gal. III-26.
(18) II Petr. I-4.
(19) Gal. IV-5.
(20) Rom. VIII-29.
(21) Tit. III-7.
(22) Rom. VIII-17.
(23) Joan. X-10.
(24) Joan. III-15.
(25) Coloss. IV-17.
(26) Ephes. IV-1.
(27) Rom. XI.13.
